





GALENI
PERG.
INTROD
SEV
MEDICVS
PARISIIS
1528













Payne
12/7/11

CLAVDII GALENI PERGAMENI INTRODVCTIO SEV MEDICVS.

DE SECTIS AD MEDICINÆ CANDIDATOS OPVSCVLVM.

GVINTERIO IOANNE ANDERNACO INTERPRETE.



PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1 5 2 8

Μῶσαι Γουϊντερίω πρὸς Ἰάνον Ολιβέριον.

ὦ χαῖρ' ἀνὴρ φανέστατε
τρὶς καὶ τετάρκις καὶ πλέον.
παρεῖμεν ἐνταυθοῖ πέλας
Μῶσαι Γοϊντέρω φίλαι
Δόμεναι σοὶ ὦ ἀνδρῶν φάος
κῦδός τ' ἁπαντᾶν λογιᾶν
τούτως ἰατρικῆς βίβλως
Μέζω πόκα δωσόμεναι.
ἱκετεύομεν κάλως ἔχῃς
πρὸς αὐτὼς, καὶ εὖ τιθῇς
Παῖδες γὰρ ἔτι τυγχάνομεν
Εἶναι, μικροῖς γυμνασμέναι.
ἀλλ' εἰ παρέξῃ πλείονας
χρόνους πατὴρ ἡμᾶν Ζεὺς
λεγοῦμεν ἄλλοτ' ἄριον.

REVERENDO IN CHRISTO Patri Ioanni Oliuerio, Abbati ſancti Marci apud Sueſſonieſes, Guinterius Ioannes Andernacus S. D.



Vod hactenus in votis maxime nobis fuit, vir ampliſſime, id nunc obtigiſſe feliciter, ſerio triũphamus: Hoc eſt fauorem tuum, & amicitiam: quam nuper, cum Galeni cõmentarium nomini tuo dicaſſem, obtuliſti mihi q̃ familiariter. Vnde quidem verũ eſſe cõperio, quod à veteribus pulchre dictũ eſt, literas homines reddere humanos. Quanta enim in te eſt eruditio, eſt autẽ ſumma, quam omnes admirantur & ſuſpiciunt, tanta quoq; animi humanitas inuenitur. Vtinam tales ſtudioſorum patroni plures

hac tempestate extarēt, & nimirum ingenia non modo bona, sed etiã felicissima prodirent. Proinde pater amplissime, denuo iam, nouas has Galeni commentationes è Græco in Latinum tralatas tibi appēdere statuimus: vt eodem auspitio, quo superiores, in hominum manus perueniant: animúmque tuum nobis deuinctiorem reddant. Porrò quãtum in versione, breui licet tempore, laborarim, non facile dixero. Primũ, quòd alter librorum, introductionem intellige, omnino Galeni non sit: & stilum paulo duriorem referat. Deinde, quod dictionibus Galeno inusitatis abundet. Hoc autem de opere pronuntio, cuiuscunque sit, à Galeni scriptis nunquam fere discordare, lectúque dignum esse. Cæterum verbum verbo reddere nõ curauimus: quod interpretes indisertos solere Cicero meminit. Lusimus arbitra-

tu nostro, sed vt omnia ex fide respon=
derent. Ad hæc curatum est, vt Latinæ
linguæ mundities seruaretur: quod an
effecerimus, alij iudicent. Quãquam in
huiusmodi argumento nullus quãtum-
libet florẽtis homo facundiæ, amœnita
tes ac gratias verborum ostentare pote=
rit, nedum ego. Tu quãdo non medio=
crem animum ad bene sperandum fe=
cisti vir benignissime: has quæso lucu=
brationes læta fronte accipias, & Guin=
terium inter cliẽtulos tuos annumeres.

Vale Lutetiæ. Sexto Calendas
Octobres.

INDEX PARTIVM HVMANI CORPORIS, & morborum : qui in hoc libro continentur, eorum etiam quæ notatu digniora videbantur. in quo sciẽdum est, primo numero, folium: secundo, paginam indicari.

A


B

C

FINIS.

CLAVDII GALENI PERGAMENI INTRODVCTIO SEV MEDICVS, GVINTERIO IOANNE ANDERNACO INTERPRETE.

QVOMODO INVENTA SIT MEDICINA.



Rtiũ inuẽtiones vel deorum filijs, vel quibusdam eis propinquis, quibus dij ipsi primum omnes illas, artes inquam, cõmunicare dignati sunt, Græci ferunt acceptas. Hac igitur ratione Medicinam quoq;, principem Aesculapium ab Apolline patre institutũ hominibus tradidisse aiunt. Vnde eius scientiæ inuentor extitisse videtur. Porrò ante illum ars medica nondum hominibus fuit cognita, nisi ꝙ veteres medicamentorum & herbarum, quas apud Græcos Chiron Centaurus, & ab eo eruditi heroes nouerant: Adhæc quales Aristeo, Melampodi, & Polyido ascribũtur, experimẽta quædã habuere. Apud Aegyptios sanè pręter herbas aliã quoq; medicamentorũ rationẽ in vsu fuisse, Homerus hũc in modũ testatur:

Fertilis Aegyptus rerũ, medicamina, partim
Optima mixturis, partim deterrima nutrit.

Iam vero ex cadauerum illa inciſione, quam in exequijs habere moris erat multa etiam quæ manu adminiſtrantur apud priores medicos inuenta eſſe dicuntur. Quædam ex caſu obſeruata fuiſſe: veluti ſuffuſis ſanguinem mittẽdum, inde quòd capra quæpiam ex ſuffuſione male habens, ſtipite acutiſſimo in oculum impreſſo, viſum receperit: Quin & clyſteris vſum ab ibi profectum eſſe ſcribunt. Hæc enim collo, tanquam clyſteris vtre marina Niliq́ꝫ aqua impleto, roſtri aduncitate per eam partem ſe perluit, qua recrementa reddi ſolent. Scribit etiam Herodotus hiſtoriographus quondam ægris in compita expoſitis, illos qui ijſdem aliquando morbis laborarant, referre ſolitos quibus vnuſquiſqꝫ vſus ſanitatẽ recuperauerit. Atqꝫ hoc modo ex multorum vſu ac experimẽtis rem medicam conſtatam eſſe. Sed hæc quidem experiẽtia ratione vacua, nondúmq́ꝫ rationalis fuit. Cæterum perfectam medicinam, & omnibus numeris abſolutam, veréq́ꝫ diuinam Aeſculapius ſolus inuenit. Illam vero quæ inter homines verſatur, huius ſucceſſores Aſclepiadæ poſteris veluti hæreditario acceptam tradiderunt. Maximè Hippocrates, qui omnibus facile præcelluit, primúſque conſummatam apud Græcos medicinam in lucem protulit.

QVÆ MEDICINÆ PRINCIPIA.

PRincipia medicinæ tria ſunt, vnũ inuentionis, Alterum cõſtitutionis, Tertiũ interpretationis. Inuẽtionis medicinæ vetuſtiſſimũ planè, citráq; rationem principium experientia eſt: quemadmodũ apud Aegyptios, reliquóſque omnes barbaros. Cõſtitutionis autem ſicut Aſclepiadum medicinæ, ratio & experientia. Interpretationis, vt ſcribit Athenæus, vel traditionis, quemadmodum quidam dicunt, initium, naturalis eſt ſpeculatio. Hippocrates ſanè breuiter, inquit, medicę rationis initium primum natura eſt: nam inde Dogmatici auſpicantur, quoniam ex ijs quæ ſecundum naturam ſunt, illa quæ cõtrà habent poſſunt cognoſcere. At ſine naturalium cognitione illa, quæ à naturali habitu recedunt, nemo poteſt. Quinetiam in curatione naturæ rationem ſimiliter requirunt: quandoquidem ex naturali auxiliorũ potentia, quæ cuilibet morbo idonea ſint, accipiunt. Qui vero ex alijs ſectis rerum naturæ rationem demoliuntur, vtriq; à quibus præſidia adferẽdi modum finxere, incipiunt. Methodici ex communi indicatione. Empirici ex obſeruatione experimentorum. Qua enim ratione Dogmaticis medicæ rationis natura, eadem Empiricis experiẽtia cre

brò & ferè ſemper in iiſdem, & pari modo cōtingens, principium exiſtit. Ab hac ſiquidem hiſtoriam ſuam illorū quæ auditu percontando didicere, exordiuntur. Adhæc ab alio ad aliud ſimile tranſeunt. Sed methodicis euidentium ſimilitudinis inſpectio, vel communitatum apparentium cognitio principiū dicitur.

QVOT SECTÆ MEDICORVM, QVAE'QVE EARVM NOTAE.

Ectę medicorum tres ſunt: Rationalis, Empirica, & Methodica. Rationalis naturæ rationem præbet, morborum cauſſas inquirit, & ſignis ad illarum inuentionem vtitur: curationem capit à contrario, prout cauſſæ exigunt. Nam contrariorum contraria ſunt remedia. Quatuor ergo ſunt quæ rationalē ſectam indicant: naturę, cauſſarum morbi, & ſignorū ratio, poſtremo curationis modi indicatio. Empirica ad accidentiū concurſus, quæ ægris adſunt, reſpicit, & cōuenientem eis curationem obſeruat, idq́ʒ nec morbo cognito, nec cauſſa comperta. Satis autem habet, ſi in accidentibus, quæ vſu ac experimētis didicit, adhibeat: quæq́ʒ auditu percontando adſequuta ſit: tum à compertis ad incomperta, ſimilia autem, vt apparent ſpecie tranſeat. Quæ enim ipſimet vſu ac experiētia in multis, & ſæpe in iiſdē, &

pari modo obſeruarũt: aut quæ caſu quopiam deprehenderũt eadem ſemper, & ſimilia, hæc confidenter vſurpant, non adeo curioſè, cuiuſmodi ſint facultatibus prædita, diſquirentes. Credunt vetuſtiſſimis, qui rerum per experimenta ſibi obſeruatarum, hiſtoriam vti vocãt memoriæ prodiderũt. Vtuntur etiam à ſimili tranſgreſſu ad ea quæ nondum explorarũt, cum ſimilia ſpeciei quæ ad manum eſt apparent: vt malua, blitum, teutlum, & lappatum. Itidem in cõtrarijs, vt cartilago & oryſa. Rurſus in omnibus arborum fructibus vt pirum, pomum cydonium. Notant Empiricam hæreſim, cõcurſus ſymptomatum, morbi, eiúſq; cauſſæ ignorantia: dein medicaminum conuenientium per vſum cognitio: poſtea expertorũ antea, collectio: nouiſſime à ſimili tranſgreſſus. Methodica eorum quæ in morbis ſimilia ſunt, contemplatrix eſt. Omnes enim particulares affectus ad generales duos reducunt: adſtrictum, & fluẽtem: quæ communia vocant. Cognoſcũt ea ex obortis corpori affectionibus, in vtroq; euidẽter cõſpicuis. Quare notas non deſiderant illorũ, puta compreſſum corpus ex denſitate fluoriſq; eius retentione: tum ex cuiuſlibet inſignis recrementi impedimento fieri. Solutum vero ex ſummæ cutis raritate, & ſenſilium cuiuſque particulæ

excrementorum fuſione.Duplicem igitur curationis ſpeciem generales duo corporis morbi ipſis indicant:nempe ſi corpus adſtrictum eſt,digerendum eſſe:ſi profluuio laborat,comprimendum:ſi vitium mixtum habet,occurrendum ſubinde vehementiori malo. Cæterum communia omnia nominant euidentia: Horum affectus,adſtrictum & fluẽs:curationem, reſoluere & tenere: tẽpora,initium,incrementum, vigorem ſeu ſtatum,& inclinationẽ. Porrò medicinæ, quæ manu medetur, communia, in eius ablatione,quod à natura alienum eſt conſiſtit.Duplex enim alienum, eſt vel extrinſecus,vel in corpore.Extrinſecus rurſus dupliciter, illius quod in corpore eſt, tres numerantur ſpecies. Atqui extrinſecus, vt ſpina,telum,& quodcunque aliud id genus exiſtit,ſummam eductionem oſtẽdit.Eorum quæ in corpore ſunt, aliud loco alienum, vt ſuffuſio,eluxatio,& fractura:quæ trãſpoſitionem vel reſtitutionem in proprium locũ indicant. Aliud magnitudine,vt abſceſſus omnes,ſcroti tumores,verrucarum quædam genera,quæ ἀκροχορδόνας Græci vocãt,phymata,& condilomata:quorũ nonnulla diductione ſola vti,nõnulla ſumma ſuperfluorum ablatione,demonſtrantur. Aliud defectu alienũ, non vt ſuperuacaneum,ſed veluti deficiẽs,di-

citur, cuiuſmodi mutila, & curta omnia: ſicut in labris oculiſq; cernitur. Vnde quidam λαγωφθάλμοι, & λαγώχειλοι nominãtur. Pari modo etiam ſe habent fiſtulæ, & profunda vlcera, ſinus, aliáq; huiuſmodi omnia quæ ex defectu repletionem deſiderant. Iam vero chirurgi quatuor habent cõmunia. Adhæc ſpeciem quam προφυλακτικὴν, id eſt præſeruatricem appellant. Apponitur autem & ipſa communibus ad venena, & peſtiferas omnes feras, quæ virus iaculantur, volatiles, terreſtres, & aquatiles. Nam commune omnium genus, vt ſint exitialia, non tamẽ ad aſtrictum & fluens, ſed aliud præter hæc genus referũtur. Proinde curandi ratio alio communi, quod prophilacticum vocant, cõtinetur. Notæ Methodicorum hæreſis prima ſimilium in euidentibus conſideratio, ſed non in latentibus ſeu abditis, quẽ admodum rationalis ſectæ. Hoc vnum intercedit diſcriminis, ꝙ in illa quoq; ſimilium inſpectio, ſed in obſcuris cõſiſtit. Secunda, quòd ex ſimilibus euidẽtium, affectus, auxilia, tempora, particularia omnia ad communia reducit. Attamen non euidentibus tantum Empiricorum more animaduertunt, ſed particularibus, nullo generali cognito, inſiſtunt. Tertia eſt ex cõmunium indicatione curatio accepta: nec cauſſis, vt rationalibus in vſu eſt,

expoſitis: nec auxilijs quæ experimentis comprobata ſunt, in accidẽtium ſyndrome, vt Empirici faciunt obſeruatis.

QVI TRIVM SECTARVM PRINCIPES EXTITERINT.

Ationalis ſectæ & author, & princeps Hippocrates Cous fuit. Poſt hũc Diocles Caryſtius, Praxagoras Cous, Herophilus Chalcidonius, Eraſiſtratus Chius, Mneſitheus Atheneus, Aſclepiades Bithynus, Cienus, qui & Pruſias dictus eſt. Empiricæ præfuit Philinus Cous, qui primus eam à rationali ſeparauit, occaſione ab Herophilo ſuo præceptore accepta. Cum autẽ ſuam hæreſim principem eſſe vellent, Acronem Acragantinum quo rationali eſſet vetuſtior, ei dediſſe initium dixerũt. A Philino Serapion Alexandreus ea ſecta floruit. Dein Apollonij duo, pater & filius Anthioceni. hos ſecuti Menodotus & Sextus accuratè eam coluerũt. Methodicen Themiſon Laudiceus Syrius incepit, quæ ab Aſclepiade rationali deflectẽs ad methodicæ ſectæ inuentionẽ ſe contulit. Theſſalus Trallianus eã abſoluit. Poſt hos Mnaſias, Dionyſius, Proclus, Antipatrus. In ea autẽ nonnihil diſſenſerunt Olimpiacus Mileſius, Menemachus Aphrodiſeus, & Soranus Epheſius. Fuerũt nonnulli

ἐπισυνθετικοὶ apud Græcos nominati vt Leonides Alexandreus: quidam ἐκλεκτοὶ, vt Archigenes Apameus Syrius.

MEDICINA SCIENTIA NE SIT, AN ARS.



Ationales aliqui vt Erasistratus, medicinam partim scientiam, cuiusmodi est abditarum & morbos continentium caussarum notitia, tum euidẽtium & naturalium actionum, partiúmq; interiorum: Partim coniecturam vt curationem & signa, habere censuerunt. Methodici in vniuersum scientiam ipsam esse asseuerant. At vtriq; à vero, maximè methodici aberrant. Sciẽtia enim est conueniens, firma, & nunquam à ratione declinans cognitio: eam neque apud philosophos, præsertim dum rerum naturas perscrutãtur, inuenias. Multo sanè minus ĩ re medica: imò vt verbo expediam, ne ad homines quidem venerit. Quamobrem medicina ars merito dici potest: siquidem artis nomine comprehensionum & opinionum ad finem quendam vitæ spectãtium collectionẽ intelligimus. Comprehensiones igitur humanas, & quæ numero constitutionẽ quandam procreare queant, præcipue counitas, hoc est sibi concordes ac consonas, cohærentésq; medicina habet: quo

fit,vt artis vocabulũ, cuius definitio pulchrè ei conuenit,optimo iure commereatur.Comprehenſionéſq; in ea ad vitæ commoditatem pertinent:Quippe ſeruare homines ſaluos,& ægros reſtituere,ad vitam ſpectat.Sed artium duplex eſt differentia:quædam à ſe abſolutionem conſequuntur,vt fabrilis,nauium compactoria,ædificatoria. Quædam finem ſuum cui ſcopum deſiderant:cõtingunt autem non ſemper, ſed plurimum. Vnde coniecturales quoque dicuntur,ex quarum numero medicina fuerit:quemadmodum rhetorica,gubernatoria, & ſagittandi ars. Eſt & alia differentia duplex: quoniam aliquæ dum fiunt,ſunt: ſimulatque ab actione deſtiterint, nihil quod perfecerint oſtenditur: cuiuſmodi ſaltatoria, cythariſtica,palæſtrica,& quæuis alia ars muſica. Nonnullæ in actione euidens opus planè nullum habent,ſed tanquam futuri cuiuſdam præparatoriæ exiſtunt. Vbi vero à functione ceſſauerint,tunc quid effecerint,apparet: qualis ſtatuaria, pictoria,& fabrilis: tum aliæ quarum opera poſt actionem perdurãt. Inter has medicinam quoque numeres licet. In medendo enim nondum eius finis innoteſcit:quippe quę aduerſus morbos ſemper laboret. At vbi curationem abſoluerit,tunc hominis ſanitatem reſtituiſſe videre eſt.

QVID SIT MEDICINA.

Efinitionibus rationales vſi ſunt, deſcriptionibus Empirici: de quibus quæſtionem inſtituere philoſophis ſolum cõuenit. Quãquam veteres etiam medici hoc ferè modo medicinam ſimpliciter vel definierunt, vel deſcripſerunt. MEDICINA eſt, Hippocratis ſententia, adiectio & ablatio. Adiectio quidem deficientis. Ablatio ſuperantis in hominum corporibus. Quam enim definitionem medicinæ nõnulli putauerunt, reuera non eſt, ægros videlicet morbis non prorſus liberare, dolores lenire, morbiq́ vehementiam retundere, malo victis manum nõ admoliri. Artes ſiquidem ex his quæ poſſunt, definitionẽ ſortiuntur, non econtrario. Quoniam illa, quæ neutiquã fieri poſſunt, recẽſet, non ex iјs quæ adſunt, artes definit. Recentiores huiuſmodi definitionem vſurparunt. Medicina eſt ſcientia, ſanitatis conſeruatrix, morborum repultrix. Verum ſecus habet. non enim ipſa hæc efficit, ſed ex illis quæ efficit hæc proueniunt, idq́ non ſemper. Quapropter non ex his, ſed illis quæ ab ea ſemper accipiuntur, conſtituta eſt. Hæc autem ſunt adiectio & ablatio. Proin id Hippocrati medicina eſt, cuius vſũ ad præſentem hominum ſalutem tuẽdam, amiſſam

recuperandam requirimus. Ex illis ergo quæ ſemper facit conſtituitur, non ex his quæ illinc fieri ſolēt. Aliud nanq; ars, aliud eius finis eſt. Hunc autem non affectat illa, ſed quod circa ipſam eſt ſcilicet, neq; id perpetuo. Quò fit vt quouſq; hoc non aſſequitur, non finis eius, ſed ſcopus dicatur. Cum autem contigerit, finis. Ita gubernatoria & ſagittandi ars non à fine, quem non ſemper contingunt, ſed quibus conſtitutæ ſunt, & per quæ, vt finem aſſequantur, functiones obeant, definitionem ſortiuntur. Quæ omnibus ferè poſt Hippocratem proba eſſe videtur. Herophilo medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum. Trium enim horum in illa cognitio eſt, Salubrium quæ corporis conſtitutionem ita gubernāt, vt ex eis pulchrè inuicem aptatis, ſanitas concilietur, Inſalubrium quæ ſalubrem ſtatum diſſoluunt, Neutrorum omnia ſunt auxilia, quæ ægris adferuntur. Hæc enim priuſquam à medico excepta ſint, neutra, hoc eſt nec ſalubria, nec inſalubria ſunt.

QVOT PARTES MEDICINÆ.



PRimariæ medicinæ partes ſunt, rerū naturæ contemplatio: Cauſſarum morbos continentium notitia: Sanitatis tuēdę ratio: Signorum obſeruatio, & medendi mo-

dus. Græci ſic vocant: φυσιολογικὸν, αἰτιολογικὸν, ὑγιεινὸν, σημειωτικὸν, & θεραπευτικὸν. Athenæus pro ſignis materiam conſtituit, quæ in medicamẽtaria parte verſatur. Sine illa nanque mederi quis poſſit? Indiciorum obſeruatio curandi rationi neceſſaria, non tamen ipſa eſt curatio. Materiæ enim beneficio curatio abſoluitur: atque altera alterius poſcit opem. Signa vel citra curationem ad cognoſcendum quæ mederi queas, & quæ minus, neceſſaria ſunt. Adhæc faciũt ne inſcius ijs qui medicinæ nullum locum reliquerunt, manum admolitus erroris notam incurras. Iam vero quinque harum partium medicinæ, cuiuſque diuiſio quædam anguſtior eſt. φυσιολογικὸν itaque pars dicitur, in qua de hominis natura diſſerimus. Conſtat autem, ſi diuidas, elementorum notitia, quibus homo componitur: tum generationis fœtus, & formationis: Præterea interiorum & exteriorum corporis partium ſpeculatione, cum mortuorum cadauera incidimus, oſſiúmque rationes perſcrutamur. αἰτιολογικὸν, in qua ea quæ præter naturam ſunt inquirimus: morborũ cauſſas, accidentium concurſus, affectuũ ſtatus diligenter indagamus. His enim incognitis, nemo rectè nouerit quo modo morbos curare conueniat, qui vnde hi ſint ignoret. ὑγιεινὸν ſanitatẽ tuetur, tum præ-

cauet quò minus corpora in morbos incidãt. Vbi inciderint, ad ſanitatem reducat. Σημειωτικὸν præteritorum cognitionẽ, præſentium inſpectionem, & futurorũ præſagia continet. Θεραπευτικὸν, id eſt curãdi facultas in tres partes diducta eſt: vt vna eſſet quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur.

AN MEDICINÆ DIVISIO IN QVINQVE PARTES DIDVCTA NECESSARIA SIT.



Roinde rerũ naturæ cognitio neceſſaria eſt hoc potiſſimũ nomine, ꝙ niſi naturalibus antea cognitis, ea quæ à naturali habitu recedunt, cognoſcere queas nũquam: nam præter illorum naturam morbi cõſiſtũt. Cauſſarum vero morbos continentium notitia non minus deſideratur, vt affectuum origines, quibus reſiſtere conuenit, intelligamus: tum ipſos affectus, eorúmque ſtatus à veteribus appellatos cognoſcamus. Vtilis ſanè ſymptomatum affectibus incumbentium cognitio eſt: nam ab horum concurſu, quem Empirici συνδρομὴν græcè vocant, corporis vitia ſpeciem nanciſcuntur. Quanquam ijdem Empirici in ſyndromis quæ cuiq; accidenti conueniant, obſeruarũt. Methodicis curationem affectus indicant: quemadmodum rationalibus

cauſſæ. Licet ipſi nihilo minus tum affectus, tum cõcurſus inquirant. Totum autem cauſſis attribuunt, quarum nõnullæ προκαταρκτικαὶ, aliæ προηγούμεναι, quædam συνεκτικαὶ, quędam συνεργαὶ, reliquæ συναίτιαι, Græcis nominantur. Προκαταρκτικαὶ, igitur ſunt euidentes Latinis dictæ, quæ dum aduerſam valetudinem crearunt, ſeparantur: vt frigus, laſſitudo, calor, cruditas. Προηγούμεναι, id eſt præcedẽtes, ſiue internæ, quæ ab euidentibus vel præparantur, vel coadiuuantur: vt ſanguinis abundantia nutrimenti copiæ ſoboles eſt. Præcedit autem Eraſiſtrati coincidentiam, quam Græci προέμπτωσιν nominant, quæ omnium morborum cauſſa eſt coniuncta. At citra præcedentem nulla eſt. Συνεκτικαὶ, id eſt coniunctæ ſiue continentes, quæ permanent poſtquam morbum excitarunt, hoc eſt cum præſentes ſunt, & affectus eorum aſſunt: cum increſcũt, affectus augentur: cum decreſcunt, minuuntur: & cum deſinunt, finiuntur. Συνεργαὶ, id eſt coadiutrices quæ ſua virtute morbum efficere non poſſunt, ſed alterius auxilio: vt libido articularem morbum promouet: & remigatio ſanguinis eruptionem fouet. Συναίτιαι, hoc eſt cohærentes, ac quaſi dicas concauſſæ, quæ etſi affectum ſua vi poſſunt generare, alteri tamen cohærẽt: vt lapis in veſica, & inflamma-

tio. Porrò ſalubris illa pars non ſolum vt pars medicinæ, ſed tanquã potior ei quæ medetur, præponitur. Multo enim præſtat ne quidem morbum prorſus admittere, q̃ morbo liberare: quemadmodũ gubernatori longè præſtabilius eſt ante tempeſtatis exortum iter abſoluere, q̃ fluctuatum periclitatúmque euadere. Atqui differunt rurſus in ea parte, quã ὑγιεινὸν Græce appellauimus, ſanitatem tueri, & morbos longius proſpicere. Etenim cõſueta victus ratione primum adminiſtratur: alterũ medicinæ auxilijs ad præuidendam futurã ægritudinem, & præſentẽ diſcutiendam indiget: ſiquidem quæ iam ortis affectibus medicãtur, eadem quoq; prius q̃ oriãtur, prohibẽt illos conſiſtere. Similiter artis pars, quã iuniores medici ἀναληπτικὴν, tanquam refectricem appellant, differẽtiæ cum illis nonnihil habet. Qui enim reficitur & recreatur, nondum à naturali habitu receſſit, nec in eo eſt, ſed iam priore morbo defunctus, ad ſequũdam valetudinem reuertitur. Quamobrem aliam rationem ſalubrem deſiderat, nec medicamẽtariam (non enim ægrotat) nec eam qua ſani vtuntur, vt qui nondum abſoluta fruatur ſanitate. Quò fit vt nec qualitate, nec numero pari cum ſanis cibũ poſſit aſſumere. PRAESAGIENDI pars medicinæ, curationi morborum per

victum ſummè eſt neceſſaria: nam præterita & præſentia ad morbi cauſſam inueniendã diligenter inſpicimus. Inſuper magna eius neceſſitas eſt ad præſagiendum, mors, an ſalus expectanda ſit. Pari modo medicina quæ manu medetur, tum illa quæ medicamentis auxiliatur, ſine indiciorum obſeruatione nõ abſoluitur: quippe præſagia eodem modo deſiderant, quibus ſcias quæ curationem non admittunt, quæq; eam recipiunt quidem, ſed vehementer aut offendunt ægrum ſi curentur, aut è medio tollunt. Iam vero medicina trifariam diuiſa eſt: vna victu, altera medicamẽtis, tertia manu medetur. Prima auxiliorum, quę digerendi, apponendi, & concoquẽdi facultatem habent eſt adminiſtratio. Omnibus quidem ægrotis, ſed præcipue febrientibus in vſu eſt. Secũda inciſionibus, vſtionibus, & oſſium reſtauratione homines curat. Tertia tenuibus medicamentis interiores affectus & exteriores ſanat: interim eius quæ victu morbos curat, interim illius quæ manu medetur mutuũ requirit auxilium: quemadmodum hæ duæ medicamentis nonnunquam vtuntur. Itaque à rerum naturę contemplatione, ſuperioribus paulum intermiſſis, auſpicabimur: quoniam nec in ſanis ſequũdam valetudinem tueri, nec in ægris morbi originem ſiue cauſſam cogno-

ſcere, nec ſignis quid deprehendere, nec cūrationem admoliri rectè poſſis: ignorās quibus homo elementis conſtet, & quomodo his immutatis à natura quam obtinebāt prius, morbi naſcantur.

DE ELEMENTIS HVMANIS.

Onſtat homo ex primis mūdi quatuor elementis, igne, aere, aqua, & terra, naturalium cum Hippocrate cōſenſu. Non ꝙ ex his ipſis, ſed pro portione eis reſpondentibus conſtituatur. Atqui Hippocratis ſentētia, dum diſſoluitur, in hæc prima reuertitur: & quodque in ſuam ipſius naturam, homine vita defuncto, redire neceſſe eſt: Siccum in ſiccum, frigidum in frigidum, calidum in calidum, humidum in humidum. Huiuſmodi vniuerſorū animantium natura eſt, omnia ſimiliter oriuntur & deſinunt. Conflatur enim ex his prædictis eorum natura, & in eadem finit. Vnde ſingula originem nacta ſunt, eò quocꝫ recedunt, quemadmodum Homerus hiſce verbis innuit: Vos aqua, vos tellus cunctos aliquando tenebit. Cæterū hominem ex propinquis & humanæ naturæ vicinis quatuor humoribus, ſanguine, pituita, bile tum flaua, tum atra conſtitutum eſſe phyſici pronūciant: quoniam in prima ſui formatione ex genitura & ſanguine mēſtruo

fœtus auſpicium cæpit. In his autem quatuor humores erant. Qui ex tribus, ijſq; compoſitis hominem prodijſſe cenſent, hæc proponũt initia: humida, ſicca, & ſpiritus: quę Hippocrates Græcè συνέχοντα, συνεχόμενα & ὁρμῶντα appellat. Ea ferè Latinis ſonant continentia, cõtenta, & quibus animi impetus debetur. Continentia igitur ſunt ſolida omnia, vt oſſa, nerui, venæ, arteriæ: ex quibus & muſculi, & carnes, totáq; corporis moles cõflata eſt. Adhæc interiorum exteriorúmq; concretiones. Contenta vero humida ſunt, quæ in vaſis per tota corpora diſperſa feruntur. Atq; hæc quatuor prædictos humores vocat Hippocrates. Animi appetitionem ſpiritus ducunt: quos veteres tres, animalem, naturalem & vitalem, numerant. Stoici quartum quendam inuehunt ἑκτικὸν, quem habitum interpretantur. Eraſiſtratus vaſa triplicia, neruos, venas, arterias, omiſſis ſpiritibus & humidis, tanquam initia & totius corporis elementa conſtituit. Nam duplici materia regi animal affirmat, ſanguine tanquam alimento, ſpiritu tanquam naturæ functionibus obeundis coadiutore. Non autem ea vt principia intelligit. Multæ ſanè aliæ partium ſpecies non ex tribus illis compoſitæ inueniũtur: vt cerebrum, medulla, atq; oſſa omnia. Cerebrũ igitur vel medullam nu-

trimenti parenchyma, quaſi adfuſionem exponas, audet appellare: ſicut adipem iocineris, lienis, & pulmonis conſiſtentiam. At oſſa neque nutrimenti parenchymata, neq; ex prædictis vaſis triplicibꝰ compoſita eſſe dicere poſſit. Aſclepiadi hominis elemēta ſunt corpuſcula manantia, & inuiſibilia foramina. Secundum Athenæi ſentētiam non quatuor illa prima corpora, ignis, aer, aqua, terra, ſed eorum qualitates calidum, frigidum, ſiccum, & humidum. Ex quibus duo cauſſarū efficientium munere fungūtur, puta calidum & frigidum: duo materialiū, ſiccum & humidum. Quintum vero ex Stoicorū opinione introducitur ſpiritus cuncta penetrans, à quo omnia continentur & gubernantur. Hippocrates cum trifariam hominis elementa diuiſiſſet, in continentia, cōtenta, & ea quæ animi impetum regunt: quibus omnia poſt eum aſſerta elementa comprehendit: adhæc rerum naturæ contemplationem, & morbos generantium notitiā, haud ſcio quomodo ſucceſſores eiꝰ vnam illam reuera diuinam Aeſculapij medicinam in tres partes diduxerunt: genuinas ab ea ſeparauerūt. Alij enim tum ſanitatis, tum morborum cauſſam humidis attribuere, vt Praxagoras & Herophilus. Alij duris corporibus, vnde initia & elementa ſumpſerimus: vt Era-

ſiſtratus & Aſclepiades. Athenæi vero & Archigenis imitatores ſpiritũ tantum ea penetrante, tum naturalem habitum conſiſtere ac gubernari, tum morbos vniuerſos hoc prius offenſo creari dixerũt. Vnde & pneumatici tãquam ſpiritu laborantes nuncupantur.

EXTERIORVM CORPORIS PARTIVM APPELLATIONES.

HVmani corporis partes, earúmq; nomina primus Ariſtoteles docere ſimul & ſcribere inſtituit. Temporis autẽ proceſſu medicis quoq; ipſis poſterioribus de iiſdem tractare operæprecium viſum eſt: non vt dedita opera quanque particulam oſtenderẽt, ſed ex appellatione ſufficientẽ earũ notitiam haberent. Quorum in numero maximè fuerunt Eraſiſtrati ſectatores, Apollonius Memphites, & hoc prior Xenophon. Diuidunt igitur totum corpus Aegyptii quadrifariam: in caput, manus, thoracẽ, & crura. Alii has quatuor partes in plures diducunt, nempe in alias totius, non vt illarum particulas. CAPITIS igitur tota latitudo pars ipſius corporis dicetur. Huius particulæ ſunt hæ: Anterior ſupercilia excedens, pilis vacua, inter vtranq; aurem ſita, FRONS nominata. Hac ſuperior capillis intecta, SINCIPVT. Partem inter vtrunlibet oculum,

& aurẽ poſitam TEMPORA appellamus. Media iter occiput & ſinciput eſt VERTEX. Vnde velut à cẽtro circulus pilorum prouentus exiſtit. Poſt verticem à poſteriore capitis parte aduſq; tendines OCCIPVT deſcẽdit. A priore ſub tota fronte, auribus, oculis, naſo, & ore ad mentum vſq; circunſcripta à ſupercilijs incipiens FACIES dicitur. Vbi enim frons à ſuperioribus deſcendens deſinit, SVPERCILIA, ceu termini eius eminentes, & pilis conſiti eam excipiũt. In quibus autem finibus frons tempora contingit, ibi AVRES ſitæ ſunt: quarũ pars exterior AVRICVLA dicitur: parte conſtat ſuperiore pinna, inferiore fibra. At interior pars forma anfractui cocleæ ſimilis deſinit in os, quod auriculam planè imitatur. In huius medio rotundum foramen, ſeu meatus auditoriꝰ ad CEREBRVM pertendit. OCVLI ſupercilijs ſubiacent, quorum partes ſuperius inferiúſq; interiores tunicas contegentes PALPEBRAE appellantur. Committuntur inuicem crebro & extremo tactu ad viſus recreationẽ: & ne quid extrinſecus de inſperato oculis incidat. Maximè verò, quemadmodum in ſomnis, viſoriæ virtutis auertẽdæ gratia, quò melius homo conquieſcat. Extremum ambitum genæ ſuperioris antiqui CILIVM vocauere. Vtriuſq; pi-

los Græci βλεφαρίδας ab origine ipſorum nominant. Facti autem in hoc ſunt, vt viſorium ſpiritum, vel, vt quidam aiunt, radios ab exteriore parte effuſos perſpiciendi gratia dirigãt. His itaqꝫ elapſis, vel retortis, nequaquam animans ſimiliter vel rectum, vel longum videre poteſt. Interiores oculorum termini ſuperioris, inferioriſqꝫ palpebræ communes anguli ſunt: alter iuxta naſum, iuxta tempora alter: hic paruus, ille magnus. Quod in horum medio cõſiſtit OCVLI CANDIDVM. Huius rurſus medium iris circulus coloribus varius occupat. Vnde quoqꝫ nomen à cæleſti illa iride nomen accepit. Humor oculi interior quo videmus PVPILLA eſt. Quod eã ambit NIGRVM dicitur. NASVS oculos interiacet: eius partes vtrinqꝫ ſitæ NARES vocantur, quibus aerem reddunt animantia & accipiunt. Exteriores autem partes PINVLAE ſiue ALAE nominantur. Quod autem nares diſcriminat, INTERSEPTVM vocamus. In vtraque naſi parte ſub oculis quædam ſita, propriè CONCAVA nũcupamus: vnde quidam nomen ſortiuntur. In morbis enim hæc attolluntur ob hominis cruditatem vel nauſeam. His autẽ ſuperiores inter naſum & aures MALAE, priſcis etiam GENAE dicũtur: quæ bene coloratis & ingenuis pudore ſuffu=

ſis rubent. Hinc MAXILLAE ad mentum vſq; deſcendũt, & partes ipſius extremæ quaſi bicornes ſunt. MENTVM id omne eſt, quod labro inferiori longa orbiculatim figura ſubiacet. Extrema pars malarum ſub naribus μύστα Græcis, Homero ὑπόνη appellatur. Quod intra labra deſcribitur, & ab eis conſtituitur & continetur, OS eſt: Videntur enim hæc quaſi connata, pòſt diducta os efficere: quare etiam veluti nuper diuiſa apparẽt. Caput CERVIX excipit: huius poſteriores partes recti valentéſque nerui, quos Græci τένοντας appellant, poſſidẽt. Dein ſub ceruice SCAPVLAE prominent, quarum verticem ἀκρώμιον Græci nominant. At à ſumma coſta paulo interius q̃ ea media eſt, CLAVICVLAE excreſcunt. Hinc HVMERVS vtrinq; incipit. Superius humeri caput verticulatis ſcapularum oſſibus inſeritur. Inferius brachio iunctum, CVBITVS quoq; Latinis vocatur. Cuius exteriorem partem Attici κορωνὸν & ὠλέκρανον nominãt. Dein BRACHIVM cõſtat RADIO & CVBITO, quo & homines metiũtur. Vbi hi coeunt, manuiq; iunguntur, VOLA eſt. Oppoſita eius pars μετακάρπιον, nomen latinitate necdum donatum. Inde recta quinq; oſſa ad digitos tendentia PALMAM explent, à quibus ipſi DIGITI oriũtur: Græci κονδύλους

appellant. Digitorum maximus POLLEX eſt: ἀντίχειρ Græcis quaſi manus altera dictus. Poſt hunc INDEX. Dein MEDIVS. Hunc MEDICINALIS ſequitur, à medicis nomē ſortitus. Poſtremus MINIMVS dicitur, ꝙ omnib⁹ & corpore & virtute ſit inferior. Itaque à vola MANVS incipit: mox palma aſſurgit, cui⁹ pars oppoſita ὑποτέναρ Græco nomine vocatur, Latino carens. Verum vnde digiti procedunt, PECTEN manus eſt. Quod mediū manus eſt, κοῖλον Grȩcis dicitur. THORAX ea pars appellatur, quæ à collo ad pudenda vſq; protendit. In hoc ſub oſſe pectorali & alis vtrinq; coſtæ ſunt. In harum medio PECTVS. Huius rurſus medium vſque ad cartilaginem, ſub qua ventriculi os deliteſcit, στέρνον Græcis dicitur. Hinc OMENTVM oritur. Quæ ſub ventriculi ore ad partem exteriorem apparent, PRAECORDIA nominamus: Græci ὑποχόνδρια. Sunt autem MVSCVLI, qui expanſi membranæ prætenui veluti araneæ, quā περιτοναίον Græci nomināt, ſubiacent: Extrinſecus vero cutem contegūt. Aequiuoco autem vocabulo etiam interiora viſcera vocamus præcordia: ſed exteriora proprio. At vniuerſa hæc omētum comprehendit. ILIA autem inter vtrunq; latus conſiſtūt. Ventris medium occupat VMBI-

LICVS. Inde ad pubem ſpacium Græcis ἦτρον vocatũ eſt. Poſtea PVBES ſequitur. Vbi thorax finem, maſculorũ NATVRALIA principium ſortiũtur: tum fœminarum ad femoris vtriuſq; proceſſum, vt ſub hoc occultẽtur. Maris COLES poſtremo thorace propẽdet. Sũmitas eius GLANS: cutis quæ eam contegit PRAEPVTIVM dicitur. Inferior pars in longitudinem vergens ῥαφὴ Græcis hactenus vocata eſt. Quæ vero aduſq; ſedem producitur, ταῦρος. Subiacẽt membro genitali gemini TESTES, foris & intrinſecus. Cõmunis deinde vtrique, omnibúſque interioribus ſinus eſt, qui iam conſpicitur à nobis, ὄσχεον Græci, noſtri ſcrotum vocant. Muliebris autem pudẽdi (ſic enim nominaui ipſum) ſinus pilis decoratus, græcum nomen κτεὶς obtinet. At quæ ſinum ambiunt, alæ vocantur. Inter has autem caruncula quæ bifariam excreuit, græcorum lingua νυμφὴν, noſtra colliculum appellare licet: quem ꝙ multo promineat, Aegyptij in virginibus excidere conſuerunt. Porrò in ipſius naturalis collo muſculus eſt, quo vrinam cum lubet retinemus: ANNVLVS à figura: Ab officio FIBVLA vocatus eſt. Cæterũ poſteriores corporis partes, quæ collo ſubiacent, hunc ſitum & appellationem habent. DORSVM ponè pectus eſt, cuius vtrinque

duo ſcapularum oſſa, noſtri SCOPTVLA operta, Græci ὠμοπλάτας nominant. Media ad amuſſim pars à capite ad nates vſq; SPINA dicitur. Huius partem quæ recto tramite lumbos diuidit, ἀκνηστὶν Homerus nominauit in hoc hemiſtichio κατ᾽ ἄκνηστιν μέσσα νῶτα. Spinam LVMBI quibus ſuccingimur, excipiũt. OS SACRVM eius terminus eſt: in cuius vtraque parte COXAE ſunt: in his NATES: quoniam quæ his ſubijciuntur, maxima oſſa ſunt. Inde carnoſæ ipſis partes ſubmittuntur. Quorum GIBBAE partes, quòd orbiculares ſunt σφαιρώματα, ceu modo circulorum factę, Græcis nominãtur. Inde corpus vnũ in duos exit proceſſus. Nam femora à coxis ſtatim oriuntur. Vbi vero illa committuntur cruribus, nodúmque efficiunt GENVA nominamus. Eorum partes ambientes quæ deorſum ſpectãt POPLITES. Ipſum autem CRVS ab exteriore parte SVRA, priore TIBIA recte nominatur. Poſtremum cruris in vtrunq; latus excedens TALVS eſt: ab hoc PEDES propriè appellantur: quibus etiam mẽſuram ſibi aliam homines in altum tollentes inuenerunt. Pars poſterior CALX: prior diſcreta in digitos quinq; eſt, Græci τάρσον vocant. Interior autem quaſi pedibus inuicem ſe aſpiciẽtibus à talo verſus magnum digitum pro-

cedens, nominis adhuc Latini indiga πεδίον Græcis appellatur. Sub hac PLANTA eſt, qua ſolum cõtingimus. Cuius concauum Latinum etiam nunc nomen deſiderat, Græcis κοῖλον eſt. Quod poſt hoc ad digitos aſſurgit, PECTEN pedis nũcupatur. Plantæ palmis, digiti digitis, vngues vnguibus reſpõdẽt. Non autẽ eadem ſortiti nomina: quoniam nec eoſdem præſtant vſus: quanquam aut numero, aut ſitus ordine conueniunt.

INTERIORVM ANATOME.

EXteriorũ corporis partium enarratio præter vſum anatomes vocabulum vſurpat. Eſt enim rationis ſingularum partium cum naturali earum ſitu, ordine, & vſu, quem animanti exhibent, & propria appellatione, de qua verba fecimus, explicatio. Interiorum vero propriè naturalis declaratio inciſionis nomen meretur. Siquidem oculis eas indicatas eſſe, inſectio non eſt, ſed cuiuſq; notitiam ratione accepiſſe: & naturales actiones quomodo ipſas obeãt didiciſſe. Præterea quẽ inuicem contextum viſcera, aliæq; corporis partes venarum beneficio obtineant. CEREBRVM itaque ex nullo eorum quæ prædiximus principe vaſe compoſitum eſſe videtur Eraſiſtrato: eóq; nutrimenti quaſi affuſionem

ipſum vocat. Eſt autem corpus ſimplex, atq; ob id omniũ quæ humano continentur corpore & ſummũ, & princeps. Quapropter Plato & Hippocrates animi principatum in eo conſtituunt. Comprehenditur ſanè membranis duabus. Vna prominenti, eiq́; cõtinua χορόειδης Græcis appellatur. Altera hanc ſuperans caluariæ quibuſdam partibus magis adhæreſcit. Sed hæc neruoſior, illa venoſior exiſtit. Ex ſuperiore illius parte venæ nutrimentum à corde iuxta arteriarũ baſim acceptum in id deriuant. Ex inferiore nerui principium capiunt, & animi functiones vniuerſo corpori communicant. Neruorum autem ſpecies duæ ſunt: Vna mutuos oſſium connexus tuetur: Altera ſentiendi mouendiq́; pro arbitrio facultatẽ corpori trãſmittit. Atq; hinc etiam muſculorum prouentus eſt. Oculorum meatus & ipſi ab ima cerebri parte proueniunt: & per eos viſorius ſpritus oculis impartitur. Inde vero nares etiam proceſſus habẽt, per quos & odoramur, & cerebrum expurgatur. Ad aures proceſſus non ſunt. Verũ à poſteriore parte tenuis membrana, quam Græci μήνιγγα vocant, perforata eſt: Adhæc quæ σκωληκόειδης dicitur ex eo loco proceſſum habet: per quam ſimiliter ipſæ repurgantur. In illius principio cerebri pars Græcis κωνοειδὴς appellata ſedem

habet. Iam vero illinc SPINALIS medulla incipit. Cæterum duos habet cerebrum ventriculos. Quorundam opinione vnum, vbi animi principatus deſidet. At CALVARIAE oſſa ſuperiore parte ſub cute, membrana, quæ per ſuturas è meningibus prodijt, περικράνιον Græci nominant, conteguntur. Atq; hæc origo membranæ coſtas ſuccingentis, ὑπεζωκότα nominant, & ſepti tranſuerſi, & peritonæi, & deniq; illius ex toto quæ neruis cõſtat. OCVLVS ex Hippocratis ſententia habet duas tunicas, quas Græci μήνιγγας, quòd ex illis prouenerint, appellat. Recentiores tres ponunt: nonnulli quatuor. Ex quibus ſuperior à Græcis κερατοειδὴς vocatur. Ea qua parte alba eſt, ſatis craſſa, pupillæ loco extenuatur. Perſpicit vbi nigra, vel cæſia, vel flaua apparet. Huic inferior adiũcta eſt media parte, qua pupilla eſt: modico foramine, concaua, circà tenuis, acino vuæ ſimilis, quæ ῥαγοειδὴς à Græcis nominatur. Tertia retis modo, ſinum habens ἀμφιβληστροειδὴς nuncupatur: nõnulli eam in ſummo quartam tunicam excipere tradũt, quam ἄδηλον ceu minus apparentem vocare conſuerunt. Eſt etenim membrana minima ſimul & tenuiſſima: ſed prior & ſecunda firmę craſſæq; tunicæ ſunt: tertia vero & quarta tenuiſſimę. Quare Hippocrates priores ſolas cogno-

uit:oculus inquiens membranas duas habet. Porrò triplices hæ tunicæ humores continēt. Hunc ab aquæ ſimilitudine ὑδατοειδὴς Græci vocant. Illum ὑαλοειδὴς, quòd vitro quiddam ſimile referat. Tertium χρυσαλλοειδὴς, à quo videndi facultas proficiſcitur. Palpebrarum interiores partes carnoſæ: mediæ cartilaginoſæ: Exteriores cute teguntur. At quoniam cartilago media dura eſt, adeps molliſſima tactu ſubiecta eſt: quæ frequenter exuperans, guttas parit. LINGVA maximè carnoſa eſt, in quam duplex neruorum genus ab ima parte cerebri prodiens inſeritur. Alij molles appellati, guſtandi ſenſum, Alij duri motum arbitrarium à principio ſuo deducunt. Ad huius radicem exigua in arteria ſub faucibꝰ ipſis eſt lingua, quæ cum ſpiramus attollitur: cum cibum potionémq; aſſumimus, arteriam claudit, ne quid in eam delabatur. Cuius rei quoq; cauſſa tonſillæ numero quatuor creatæ ſunt: duæ ad linguæ radicem, vtrinque conſpicuæ: duæ penitius his minus prominēt. Nominantur eędem etiam Græcis παρίσθμια, quoniam locus in quo ſitæ ſunt, maximè iſthmo, cum per inflammationem intumuerũt, figura reſpondent. Nam quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, ſpiritu: ad hunc quidem percipiendum, nares, os, fauces,

aſpera arteria,& pulmo partes ſunt aptiſſimę. Nares ſanè & os reſpirationi ſeruiunt. Gurgilio ne frigidus in fauces aer cumulatim irrumpat: Aſpera arteria, vt eundem in pulmones deducat,quorum in pectore ſedes eſt:per hos omnis fit reſpiratio:ſubmittentes quidem ſe, vt ſpiritus emittatur:attollentes vero,vt animam recipiãt. Quare vſu ſimilitudinẽ quandam cum fabrorum officinis habere vidẽtur. Figurã vero vngulæ bubulæ ſeruãt. Porrò ex ſpiritu quicquid vtile,ac vitæ neceſſarium in pulmonibus elaboratũ eſt,ad ſiniſtrum cordis ventriculum defertur. Quicquid inutile eſt,illac qua inſpirauimus efflatur. Nutrimenti vaſa ad excipiendum,& inſtrumenta ad elaborationem inſtituta hæc ſunt:os,dẽtes,ſtomachus,vẽtriculus,ieiunum,& tenuia inteſtina. Os quidem & dentes cibum extenuant molliúntq;. Stomachus appetit & diglutit:appenſus aſperæ arteriæ ad ſeptum vſq; trãſuerſum porrigitur. Ventriculus cibi receptaculum primam molitur cõcoctionem: incipit à media cartilagine,vbi ventris os ſitum dicitur. Subſidet leuiter iocineri,latitudine Græcorum literam σ referens: & paulum in dexteriorem partem cõuerſus, in ſummum inteſtinum coartatur. Hanc iuncturam πυλωρὸν Græci vocant:quoniam portæ modo, ne nutrimẽtum

ex eo delabatur,prohibet. Ab eo ieiunum inteſtinum incipit,in ſinus vehementer implicitum:cui tale eſt vocabulum,quia nunquam quod accipit continet. Cõmittitur autem medio inteſtino,quod venæ in id aſcendentes intertexunt. Inde tenuius inteſtinum eſt ſuperiori ita cõnexum, vt pars eius eſſe videatur: quippe quod haud adeo ſubſtantia diſſimile ſit. Differt tamen ꝙ nec vacuum ſit,nec vaſorum copiam habeat:per quæ ad iocineris portas alimentum permanet.Deinde craſſius alterũ tranſuerſum eſt,alimento recipiendo accommodatum,cui cæco nomen dederunt veteres.Huic adhæreſcit aliud maius. Græci κῶλον nominant: quod excremẽta per digeſtionem ſegregata ſuſcipit:Quibuſdã eius membranis à iocinore & liene ſuper vmbilicum veniẽtibus:atq; hinc dextrà recuruatum in imo dirigitur,qua excernit,totum amplectens abdomen. Ideóque rectum inteſtinum in quod deſinit,ibi nominatur.Cum igitur duo meatus,ſiue itinera à lato oris ſpacio incipiant,alterũ iuxta priorem colli partem,aſperam arteriam nominamus:alterũ ſtomachum. Vnde vero initium capit arteria,& vbi cooperitur,Latini fauces,φάρυγγα Græci vocant. Cæterum omnis meatus ex cartilaginibus annuli modo vel circuli cõpoſitis conſtat,quò fir-

mus cõtinuæ animantis reſpirationi maneat, nec comprimatur: Quare etiam oſtium eius pateſcit. Nam ſi in cibo aſſumẽdo error committatur, ne vel paululũ reſpirare queas. Huius rei gratia purum hunc ſpiritui tranſitum natura dedit, ne impedimẽti quid ſentiat. Verbi gratia ſi quid vel cibi, vel potus in arteriam delabitur, ſtrangulationes, tormina, & tuſſes grauiſſimæ excitantur: donec à ſpiritus impetu efferatur. Iam vero aſpera arteria ſpiritum pulmoni tranſmittit: deſinitq; in eiuſdem arterias, quas aſperas quoq; nominant. Stomachus interior ceruicis vertebris annexus, ad ventriculum fertur. Rurſus quoniam arteria exterior à cibo infeſtatur, natura ad hoc molita eſt minorem linguam quæ eam operit: atque alimentum à lingua velut ventilabro purgatum, & gulæ initio ſuperimpoſitum ad ſtomachũ pontis modo deijcit. Stomachus pro naturali functione appetendi facultatem habet: dum appetit quidẽ, ſe attollit: & quæ offeruntur, deglutit: dum accepta ſuperioris ventriculi orificio contiguo per tranſuerſum ſeptum tradit, ſubmittitur. Per quẽ anguſtum etſi meatum in imam alimenta deſcendunt. Ventriculi naturæ officium eſt, vt alimentum ſibi cõmiſſum concoquat, quod à concoctione primũ ptiſſanæ cremori perſimile eſt. Ve=

rum per arctiorē adhuc iuncturam imæ ventriculi partis cũ ſummo inteſtino, quam πυλωρὸν à Græcis appellari diximus, alimētum ieiuno inſtillat: quod cũ tenue ſit inteſtinum, in flexuoſiſſimos orbes natura implicauit, ne ex facili videlicet diſſecaretur, cōuelleretúrq;. Medium inteſtinũ anfractus & orbes eius amplectitur, atq; ipſis inſidet: quanquam id non ſolũ hunc præſtat vſum, ſed etiam venæ duæ ſub iocinere emergentes: quæ poſt in diuerſas partes diducuntur, & meſeræo adiunguntur: quò & ipſæ (ſunt enim tenues) ruptionis periculum effugiant. Adſurgunt autem ſic intertextæ eidē ſimul baſi huic innitentes, & ſcalæ nauticæ inſtar alleuatæ finiunt. Atque hoc pacto in ſingulis anfractibꝰ ad hirudinum ſimilitudinem cōpoſitis, aperto ore ieiuno inhiantes, omnem in eo alimoniam in ſuccum conuerſam exugunt. Simul autem inter exugēdum, protinus in ſanguinē mutant. Non enim alibi vel pituitæ, vel ſanguinis, vel alterius cuiuſdam vas eſſe, natura indicat. Rurſus igitur duæ ex multis venæ à medio inteſtino acceptum ad iocinoris portas digerunt. In iocinere quum ſanguinis naturam nutrimentũ induit, recrementa ſingula pariter ſecernuntur. Flaua bilis ad tunicam inferiori eius parti inhærētem defertur. Atra ad lienem. Iam ve-

ro ab hepate versum in sanguinẽ alimentum in dextrum cordis ventriculum distribuitur. A corde per grãdes venas in dextra sinistráq; circa guttur apparentes (σφαγιτίδες à Græcis nominãtur) ad superiores corporis partes deriuat. Per cauam autem venam in vniuersum corpus diffunditur. Ab hac rami duo sanguine iam à sero discreto ad renes perreptãt, qui lumbis sub imis coxis inhærent. Inde singulæ venæ colore albæ ad vesicam feruntur, οὐρητῆρας Græci vocant, quòd per eas inde descendentẽ vrinam in vesicam destillare concipiũt. Vesica autem vrinam per colem foras excernit. Testiculi vero fibrarum substantia prædi ti, conceptacula & officinæ seminis sunt: ꝙ per singulos neruos ab inguibus depẽdentes, Græci κρημαστῆρας nominãt, ad eos destillat. Quibus cum alia vasa quoq; descendunt puta binę & venæ, & arteriæ nutrimẽtum conferentes. Hæ autem duabus tunicis conteguntur: quarum tenuiorem Græci ἐρυθροειδῆ: valentiorem δάρτον appellant. Communis deinde vtrique testiculo sinus est, ὄσχεον à Græcis, scrotum nostris dicitur. Fœminis autem vulua scroti conuersi similitudinẽ refert. Venæ in partem eius interiorem plurimũ aperiuntur, per quas sanguis excernitur, qui grauidis retinetur: ceditq; in alimentum fœtui, & formationem. Nam

à venis quæ locum infanti datum implicant, binæ aliæ prodeuntes venæ: ab arterijs binæ arteriæ: & à neruis vnus neruus mutuo in vnũ congreſſu meatum quendam ab anatomicis Græcis ὄυραχον appellatum abſoluunt: qui infantis vmbilico inſeritur: ex quóque ſuſpenſus infans fouetur. Ab vmbilico autem venæ ad iocineris portas ſanguinem in fœtibus tranſmittunt. Arteriæ iuxta veſicam ſitæ, craſſiori arteriæ: neruus hic ſpinæ inſertatur.

DE EA ANATOMES PARTE QVAE AD OSSA PERTINET.



Ssium duplex cõpoſitio: vna ad motum & ad omnẽ corporis actionem accõmodata, nomen articuli habet: altera ad ſtabilitatẽ, συνάρθρωσις à Græcis dicitur. Huius autem tres ſunt ſpecies: Sutura, commiſſura ſeu iunctura, & conglutinatio. Suturis igitur capitis oſſa conſtant quinque potiſſimum. Prima per ſinciput στεφανιαῖα Græcis dicitur. Altera à vertice per medium caput ad frõtem procedit, ὀβολαῖα vocatur. Tertia occipitium à ſummo capite deducit, ad aures per verticẽ tendens λαβδοειδὴς ei nomen eſt. Duæ ſuper aures tempora à ſuperiore capitis parte diſcernunt, quas κροταφίας nominãt. OSSA CALVARIAE ſeptẽ numerantur. Sincipitis vnũ.

Verticis duo. Temporum item duo. Occipitij vnum. Septimū palato iūgitur. Cerebrū duos à poſteriore parte proceſſus vtrinque obtinet, κορῶνας Græci appellant: qui primæ vertebræ inſinuantur: in qua velut axe ſequentis caput in latera mouetur, annuit, renuitq́. Deinde oſſei quidam proceſſus paululum inuicem diſſidentes, per quos vtrinq́ recti, valentéſq́ nerui, deorſum feruntur. Pòſt alia duo oſſa ſuper foramina, per quæ facultas audiendi eſt, emergunt, iugalia nominari poſſunt ab eadem ſimilitudine, à qua id Græci ζυγωδῆ appellant. Sub his rurſus alia duo petræ modo & craſſa, & inæqualia prominēt, λιθοειδῆ vocant. Priore capitis parte proceſſus ſunt telo ſimiles: hinc quoq́ βελανοειδεῖς à Græcis dicuntur. Facti autem ſunt ad faucium diuiſionem. Vbi ſummæ eorum partes cartilagine committuntur, os ὑοειδὴς appellatur. Quę vero has adhuc excedunt, nomen tum apud Græcos, tum Latinos deſiderāt. In priore parte à ſuperiorū dentium gingiuis per mediū palatum vnà procedens os, πολυμόρφον nominant. Porrò malarum oſſa cōnexu mutuo cōſtant. Facies item eiuſmodi cohærentias nouem habet. Prima ſub interioribus oculi vtriuſq́ angulis deorſum ſpectat. Duę à latere narium vtroq́. Alia medias nares recta interſecat. Malæ quoquę

ſingulas tranſuerſas habẽt. Duæ rurſus tranſuerſæ palatum ſecant: vnáq; per mediũ idem palatum procedit. Communes autem faciei & capiti connexus, qui à tempore incipiens, per medios oculos, naréſque tranſuerſus peruenit ad alterum tempus. Iam quidem faciei duodecim oſſa ſunt: Narium duo. Oculorum quoq; totidem. Palati quatuor. Malarum ſingula, ad alarum ſimilitudinem ſtructa. Maxilla quibuſdam duo in mento connata, nonnullis vnum habet. Cæterũ dentes conglutinantur, nempè maxillæ, & ſuperiori oſſi malarũ. Sunt autẽ numero triginta duo. Ex his quaterni primi (quia ſecant) τομεῖς à Græcis nominantur: Hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. Vltra quos maxillares ſeu molares viginti ſunt. Reliquorum oſſium claues in altiore ſcapularum parte coeuntes deligãtur. In pectore articulus & commiſſura ſimul mixtæ videntur. Et Romanæ literę S, eiúſque ſimplicis figuram oſtendunt. Dein coſtæ duodecim vtroq; latere ad imum pectus perueniunt. Septem ex eis ſpinæ vertebris, cumq; oſſe pectorali coeunt. Reliquæ quinque à poſteriore parte ſpinæ inſeruntur. Inde pateſcũt, & in exteriorem partem recuruatæ paulatim in cartilaginẽ degenerant. Vertebræ vero quatuor & viginti ſunt. Septem in

ceruice.Duodecim ad coſtas.Reliquæ proximæ coſtis ad lumbos.Quanquam os ſacrum ex vertebris inuicem coeuntibus conſtare videatur.Quin & pectus ſimiliter ex ſeptē oſſibus vnà commiſſis enſis figura ſtructum eſſe apparet.At humerus vterq; verticulatis ſcapularum oſſibus inſeritur.Scapulæ vero muſculis poſteriore parte coſtas ſubeuntibus incumbunt.Cubitus & radius,quem Græci κερκίδα appellant, cōmiſſuræ quidem modo ſeſe contingunt: Articuli vero,brachij tuberculum excipiunt.Tribus enim vertebris humerus in cubitum ſtructura literę σ ſimili inſeritur. Quarta iam vertebra radius veluti circa axem voluitur.Primæ palmę partis,quam volam nominant,tria oſſa mutuo connexu deligata ſunt:ad cubitum tamen & radium articulū aptè faciunt. Ex altera parte recta quinque oſſa videre licet:articulum cum volæ oſſibus,quibus connata ſunt,explent.Inde digiti orti ex ternis oſſium nodis cōſtant,& in ſingulis articulum expediunt.Femoris os vnum eſt: cuius caput leniter reflexum in coxæ ſinus cōijcitur. Quam commiſſuram neruus, qui è medio ſinu prodit, & in femoris caput inſeritur,cōtinet.Coxarum oſſa ſingula à poſteriore parte cū oſſe ſacro,priore inter ſe connexum habēt.Vbi pubis oſſa vel pectinis no-

minãtur. Ipſum autẽ crus eſt ex oſſibus duobus: alterũ ab exteriore parte poſitum, Suram noſtri, περόνην Græci appellant. Alterũ à priore, cui tibia nomẽ eſt, ſolum cum femoris inferiore capite committitur. Quatuor autem in ſuperficie figuras repræſentat, in quas femoris duas vertebras excipit. Quib⁹ à priore parte paruum os, obliquum, ſublatum, ſcuti breuis inſtar, cõmiſſuram earum in ſummo continens incumbit, patellam Latini vocant. Suræ autem ſuperior extremitas interiori tibiæ parti connectitur. Inferior ad talos cum tibia ligamento nerueo, cartilaginoſoq́ deligatur. Intus autem in ſe oſſa conuinciẽs, calcaneum oſtendit: quod in pedis longitudinem ſitum, ad ſuram aſſurgit, fixúmq́ ibi firmiter eſt. Cæterum tibię oſſibus, tum ei quod σκαφοειδῆ vocant, talus in articulo cõmittitur. Rurſus ſcaphoides, vbi cum talo coit vaſculorum modo ſinuatũ eſt. E regione gibbũ, calles tres habet, quib⁹ ſingula oſſa χαλκοειδῆ inſerũtur. Porrò, quod cubi figurã repræſentat, extrinſecus ſitum eſt. Coniungitur autem carnoſæ parti & calci. Proceſſum ex inferiori ad priorem partem occupat, quem primę pedum regionis os retinendi ipſius gratia ſubijt. Cætera oſſa pedis, ad eorũ quæ in manu ſunt, ſimilitudinem inſtructa ſunt. Cõtrahunt autem horum iun-

ctura membranoſa quędem ligamēta. Talos & calcem valida admodū: Et quædam ex ijs rotunda ſimul & neruea, cartilaginoſáq;.

DE HVMORIBVS.

HVmores corporis ex prima generatione quatuor, commixti inuicem & contemperati ſunt. Exuperat autem alius in alio magis locos: ſanguis in corde, pituita in capite: Flaua bilis in iocinere, atra in liene. Cæterum triplex ſpiritus innati ſpecies: alius naturalis: alius animalis: tertius vitalis. Non deſunt tamē qui quartum quoq; aſſeuerāt hecticon, ſolida continentem. Naturalis animantia & ſtirpes nutrit. Animalis ſentiendi, mouendíq; facultatē animatis exhibet. Nam his tribꝰ animalium natura conſtat. Quare animalis in cerebro ſedē habet. Naturalis in iocinore, vitalis in corde. Hecticus in toto corpore verſatur. Naturæ actiones ſunt, ab origine imprægnatio, conformatióq;: in editis appetitus: cibi confectio, concoctio, digeſtio, in ſanguinem alteratio, excretio, nutritio, & auctio. Excernuntur autem in corpore ſtercus, pituita, vtraque bilis, vrina, ſudores, mucci, ſaliua, & lac. Animæ vero facultates, ſenſus & voluntas. Senſus quidē ſunt quinque, quibus animantia per corporis inſtrumenta funguntur: viſus, auditus, guſta-

tus, odoratus, & tactus. Inſtituit autem anima quædam ſine corpore, vt cũ ratiocinatur, vel iraſcitur. Cum corpore, vbi id ad quorundam receptionem, vel excretionem, vel ad loca mouet. Reſpiratio cõpoſita quædam actio eſſe videtur: partim ex arbitrio, partim ſpontè & naturaliter, vt in ſomnis, contingens. Sanus igitur homo eſt, primis, vnde conſtat, elementis: & ſecundis, vnde formam acceperit, quatuor humoribus, mediocriter inuicẽ contemperatis: Solidis autem partibꝰ nec diuiſis, nec conglutinatis, nec è loco ſuo motis: Spiritibus nec intenſis nimium, vt in phreniticis: nec diſſolutis, vt in lethargicis: vel in ijs, qui ſtomacho laborant. His enim hecticus ſpiritus reſolutus eſſe videtur. Sanus autem homo conſeruandus eſt conſuetis exercitijs, & cibis domi natis: copia eorũ obſeruanda eſt, ex qua cruditates oriũtur: quæ morbos pariunt. Præcauendi morbi ſunt, vel qui iam imminent, vel futuri ſunt. Si ex plenitudine proueniant, inedia, vel purgatione, vel venæ inciſione curandi ſunt. Si ex labore & indigentia, recreare corpus & nutrire cõuenit. Verũ vniuerſi morbi, ex Hippocratis ſententia, partim extrinſecus ex aere nos ambiente: partim intrinſecus ex eſu, potionéq; proficiſcuntur: à quibus humorum aliquis vel increſcit, vel imminuitur,

vel qualitatem commutat. Ab his etiam ſpiritus inſiti nunc intenduntur nimis: nūc plus æquo relaxantur. Solida vero corpora foris & intrinſecus pluribus morborum periculis opportuna ſunt. Eraſiſtratus quidem & Aſclepiades in vniuerſum vnam cuiq; morbo cauſſam tribuunt. Hic ſanguinis in arterias coincidentiam: ille corporeæ molis extenſionem, raritatémq;. PLENITVDINIS notæ ſunt vaſorū intenſio, faciei rubor, totius corporis tumor, & pulſuum magnitudo cum robore. Indigētiæ ſigna: collapſus corporis, gracilitas in facie, & exiguus pulſus cū imbecillitate. Itaq; febrem veteres per ſe affectū arbitrantur. Eraſiſtratus, & recentiorum nonnulli acceſſoriū. FEBRIS igitur eſt natiui caloris in vehemētiorem conuerſio. Nam intrò recluſus perſpiratum non habet. Indicia febricitantium colligimus ex calore intenſo & intolerabili, tum in acceſſione ſtatim ex obſcuro, inæquali, & crebro pulſuum motu: In ſtatu, ex vehementiſſimo motu, & veloci admodum. Iuniores calorem naturali magis ardentē, mordacem, acrem, & conſtantem, cum pulſuum frequentia, & duritie, ex alto venientem, febrem eſſe definiunt. Sunt autem duæ eius ſpecies omnium ſententia: continua, & deficiens. Continua eſt, quæ non in deceſſionem prius, quàm

morbus ex toto solutus sit, venit. Deficientis rursum sex species inuenimus apud veteres: quotidianã, tertianã, quartanã, quintanã, septimanã, & eam quæ à nono die nomẽ habet. Quotidiana est quæ die noctéq; accessionẽ & decessionẽ implet. Tertiana vnum diem præstat integrũ, tertio redit. Quartana duos dies intermittit: deinde reuertitur. Quintana tres. Septimana quinque. Quæ à nono die vocata est Græcis ἐνναταῖα, septem. Nam quæ ἡμιτριταῖα nominatur, modo inter continuas, modo inter deficiẽtes ponitur. Iam vero reliquorum morborum duo genera sunt: vel cum febribus, vel sine febribus. Quidam enim acuti: quidam longi sunt. Acuti quidem hi: Phrenitis, ardor vehemens, Synanche, Lateris dolor, Pulmonis vitium, Stomachi affectus, Regius morbus, Cholera, Voluulus, Coli dolor, Apoplexia, Tetanus, Opisthotonus, Emprosthotonus. Acuti igitur à sanguine ferè & flaua bile, in nõnullis corporis partibus quæ malè habent, superfluis, & in deterius versis constituuntur. Longi à pituita & atra bile, similiter vel naturalem habitum superantibus insigniter, vel in grauissimam qualitatem immutatis. Qui iam ex copia laborant, victus ratione, vel inedia, vel purgatione, vel venæ incisione curandi sunt. Qui ex abstinentia in mor=

bum incidere, alimentis reſtituere conuenit. Quibꝰ cruditas & humorũ acrimonia morbi cauſſam fecerũt, ijs fomẽtis & cataplaſmatis concoctio paranda eſt. Acria cõmiſcere oportet: & cibis boni ſucci, atq; humectãtibus vti. Cæterum quatuor in toto morbo, particularibúſque acceſſionibus tempora auxilijs adferendis dicata ſunt: Initium, incrementum ſiue acceſſio, vigor, & inclinatio. Principio totius morbi venæ inciſio ad tertium quenque diem conuenit: inde in totũ abſtinere triduo. Venæ ſectionem in initio recentiores ad triduũ vſq; ſtatuũt. Veteres etiam poſt tertium diem præcipiũt, ſi vires ſuppetant, & morbus poſtulet. Nutrimẽti tẽpus à triduo iuniores, antiqui non omnibꝰ, ſed ijs qui copia laborãt, tum iuuenibus, tum ſenioribus inſtituunt. Pueros ſtatim morbo inuadente nutriunt. Præterea illos quibus huiuſmodi conſuetudo vel loci, vel aeris circũflui ratione eſt. Ab alimento poſt triduum primum fomenta capitis & præcordiorum ex vſu ſunt. Sequẽtibus diebus cataplaſmata & clyſteres. Fomenta igitur in præcordijs calida ſemper aſſumere oportet & ſimplicia: cuminum, vel xylanethum: Ad caput calefaciẽtia quidem in lethargo, & in omni graui ſopore: Refrigerantia in phrenitide, & quauis acuta febre cõueniunt. Cataplaſma-

ta quædam ſolo melle & oleo conficiuntur: vocantúrque μαλακτικὰ, quaſi interpreteris emollientia. Quædam ex aqua cui oleum ſit adiectum, fiunt, quæ ὤμην λύσιν Græci nominant. Alia hic inſperguntur, veluti pollen, lini ſemen, & telis. CLYSTERES hydrælæo, melle, ſale, & nitro citius præparantur. Tẽpus eorum ante nutritionẽ eſt, dum acceſſiones remittunt & inclinant. In continuis rectus clyſter locum habet. PHRENITIS eſt mentis alienatio. Notæ ſunt: inſania vehemens, temeraria manuum geſticulatio, floccorum & feſtucarũ collectio, & febris acuta. Cauſſam habet vt plurimum bilem. Conſtituitur in cerebro, vel eius membranis quas μήνιγγας appellant, vel (vt quidam aiunt) in ſepto tranſuerſo. Curatio hæc conuenit. Initio, ſi præſcius fueris, venæ inciſio, cucurbitulæ, ademptio per clyſterem & abſtinentiam. Vigente morbo, fomenta ſoporifera, medicamenta liquida quibus ſomnus accerſitur, & humectãtes cibi conducunt. ARDENS FEBRIS, quam Græci καυσώδη nominãt, ab Hippocrate quidem inter acutos, vt quartana inter longos morbos refertur. A recentioribus non item. Oritur ex bile iuxta iocineris venas non nimis ſiccas. In curatione primum ſanguinis miſſio: in ſtatu frigidæ, tum aliorum quæ refrigerandi vim

obtinent, potio confert: vel epithema, cuiuſmodi ex feruenti hydrælæo præparatur. ANGINA eſt circa ceruicem inflammatio. Eius ſpeciem vnam Græci κυνάγχην appellãt, cum lingua intus & fauces cum rubore intumeſcunt. Subito hominem ſtrangulat. Alteram συνάγχην. Hæc in exteriorem partem incumbit, eóque minus ſtrangulat, minúſque periculoſa eſt. Vterqꝫ affectus vel à bile, vel pituita ſalſa naſcitur. Sed febre acuta modo accedẽte, modo nulla. Remedium & commune, & præſentaneum eſt ſanguis ſtatim in principio miſſus: Deinde medicamenta pituitã educentia, & cerata foris impoſita. Aſclepiades vltimum auxilium poſuit, de quibus metus eſt, ne ſtrangulẽtur, ſuperiorem gutturis partem incidere. PLEVRITIS laterum ab interiore parte inflammatio eſt. Huic febris acuta, dolor vehemens, & tuſſis accedit. A bile potiſſimum conſtituitur. Præſidio eſt matura venæ inciſio: Deinde cataplaſmata & ſicca fomẽta, nẽpè milij & ſalis: Poſtremo medicamẽta intrinſecus purgãtia, quæ πλευριτικὰ nominãt. Obſeruanda vero in his ſunt vẽtris profluuia. PVLMONIS vitium (Græci περιπνευμονίαν vocant, nonnullis authoribus inflãmatio grauis eſt, idqꝫ grauitate oſtenditur. Quibuſdam pulmo inflammationem pati non poſſe vide-

tur:ſed vicina eius loca. Habet autem hic morbus febrem acutam comitem. Eadem ipſius cauſſa, quæ lateris dolorem concitat. Alijs tamen pituita. Remedium ferè huic cum ſuperiore malo cõmune eſt. STOMACHI AFFECTVS eſt, quæ Græci καρδίακον appellãt, cum eo languente, inter febricitandum corpus immodico ſudore digeritur. Accidit ferè ex immodica abſtinentia, vel parum tempeſtiua venarum ſectione: vel cum aliquid præter rationẽ corpori adimitur. Quare alimento, quod promptam recreandi, calefaciendiq́; vim obtinet, ſuccurrendum eſt. Potu ex vino & niue dato: cibo qui ex valentiore materia eſt, & ſtomachũ corroborare poteſt. Eſt cum viſceribus inflammatis, potiſſimum iocinere hic morbus eueniat. Atq; hic contrarij ablationis, & cataplaſmatum quæ inflãmatis adhibentur, vſus erit. ARQVATVS eſt, quem & regium morbum noſtri, ἰκτέρον Græci nominãt, bilis in ſummam cutem redundantia. Accedit illi interiorum aduſtio, ſtomachi vitium: interim febris acuta, interim nulla. Si præcordia ex inflãmatione tument, cataplaſmata primum deſiderant. Si copia laborant, venæ ſectionem. Sin minus medicamẽta quæ bilem euacuent, aut alui ductione, aut per vrinas, aut ſudores, aut per nares. CHOLERA

duplex eſt ſecũdum Hippocratem. Altera humida: in qua (vti omnes norunt) ſimul et deiectio, & vomitus eſt: prætérque hæc inflatio eſt: bilis ſupra infráque erumpit: inteſtina torquentur. Accedunt conuulſiones: ſæpe etiam manus cruráqꝫ contrahuntur. Remedio contractionibus ſunt fomenta calida: balneũ poſt expurgationẽ: tum alimenta quæ ex facili ponuntur, digeruntúrqꝫ, & ſtomachũ adiuuant. Alteram ſiccam choleram vocat Hippocrates ab eadem prouenientem cauſſa, in ijſdémque conſiſtentem: At citra ventris fluorem & vomitum. Ideóqꝫ reſolutionem per cataplaſmata requirit: nec adiectione, ſed inedia opus eſt. INTESTINORVM morbi duo conſiſtunt: quorum alter tenuioris: alter plenioris inflãmatio eſt. Hunc εἴλεον, illum κωλικὴν διάθεσιν nominant. Recrementum, nec inflatio infrà tranſmittitur. Hinc ꝙ ex nullo loco tranſitus eſt, dolores vehementiſſimi, & reuolutiones ventrem exercent. εἴλεος autem diſpoſitione & accidentibus acutior, magiſqꝫ periculoſus eſt. Alterutro autem morbo extremè laborantibus vomitus bilioſi cõcitantur. Auxilium eſt prioris ſanguinem mittere quãprimum: abſtinentia, & cataplaſmata inflammationem diſcutientia. Efficacius iuuant medicamẽta, quæ κωλικὰ nominant: interiores partes relaxan-

tia. Nam dolores auferunt, ſomnũ conciliant, & aluum mouent. APOPLEXIA ex humorum craſſorum copia generatur, qui principes cerebri vẽtriculos, vnde corpori ſentiendi mouẽdiq; facultas aduenit, affatim implẽt. Quã obrem eorũ qui huic malo ſunt obnoxij (attoniti Latinis vocantur) corpus ſimul & mens ſtupet. Hippocrates de hoc vitio ſcribit: Apoplexiam, inquiens, validam ſoluere nemini licet: Imbecillem haud facile. Sanguis mittendus ſtatim iam oppreſſis, modo & ætas conſentiat, & vires ſuſtineant. TETANVS, Opiſthotonus & emproſtotonus neruorum morbi graues exiſtunt. Verũ vterq; poſterior, ſpecies eſt conuulſionis neruorum, qui à capite deſcẽdentes, corpori motũ diſtribuunt. Nam ſi viſcoſi humores eos obſtruant, affectio talis oritur. Quę ſe ſcapulis caput annectat, quo minus poſſit annuere ὀπισθότονον, cum mentum pectori contrahit vt remouere nequeas, ἐμπροσθότονον: cum rectam & immobilem ceruicem tendit, τέτανον Græci appellant. Sanat venæ ſectio, ſi copiæ ſuſpicio eſt. vt videre licet apud Hippocratẽ, in illo, qui prolapſus humi vulnus in caput acceperat. Medetur enim eis frigidæ infuſio, ſi æſtas ſit: præſertim ſi non gracilis, ſed quadratus exiſtat æger. Nam caloris repercuſſum excitat. Multi ſanè ceratis

paulatim recalfaciẽtibus & relaxantibus vtuntur: adhæc illitu æqualiter. Poſtremo lanas ſoli expoſitas, fomenta & cataplaſmata calida ceruici imponunt. LONGI MORBI interioribus accidunt hi: cephalæa, morbus comitialis, vertigines oculorũ, caligationes, inſania, melancholia, lethargus, deſtillatio, raucitas, grauedo, ſanguinis eruptio, ſuppuratio in thorace, tabes, Abſceſſus in medio latere, abſceſſus ĩ clauiculis, iocineris affectꝰ, teneſmus, dyſenteria, lumbrici ſiue lati, ſiue teretes, coxarum dolor, articularis morbus, podagra, elephantia ad exteriores partes ſpectare videtur. CAPITIS DOLOR INTERNVS eſt, quem Græci κεφαλαίαν appellãt: modo totum caput per acceſſiones affligit, modo partem: atq; tunc ἑτεροκρανίαν nominant. Pituita eum generat. Auxilium vtriuſq; eſt ſanguinis detractio, vel cucurbitulæ occipitio impoſitæ: eductio pituitæ, per aluum purgatio, & epithemata quæ inter cataplaſmata, vel malagmata, vel epichriſmata ſcribũtur. MORBVS COMITIALIS, quem & ſacrum vocant, in neruorum qui à capite deſcendentes, ſenſum motúmque vniuerſo corpori diſtribuunt, origine conſiſtit. Cauſſam eius Plato & Hippocrates pituitã & bilem atram indicãt. Homo ſubito concidit: quoniam ſentiendi, mouẽdiq; mea-

tus obturãtur, idq; ob humorum commotionem, quæ à neruorum conuulſione prouenit. Qua de cauſſa interim vrina ſine voluntate prorumpit. Præſidium maximum ad hominis curationem adfert natura florẽs impubertatis, & morbum ad iudicationẽ humoribus natiuo calore exiccatis perducit. Qui pubertatem exceſſerunt, raro aut nunquam ſanantur. CALIGINES oculis offuſę & VERTIGINES cognata ſunt vitia morbo comitiali, ab eiſdémq; cauſſis prodeunt, atq; eaſdem ſedes occupant. Hoc tamen intercedit diſcriminis, quòd illæ extrinſecus accidãt: ob quod facilius quàm hic curantur, alui ductione, apophlegmatiſmis, & vomitibus partim à cibo, partim ieiunis adhuc excitatis. Omnium maximè veratro ſuccurritur. MENTIS ALIENATIO duplici ſpecie inſigni conſtat. Hanc Græci μανίαν, id eſt inſaniam: illam μελαγχολίαν, id eſt atram bilem, appellant. Complures harum exiſtunt differentiæ, nominum adhuc indigæ. Conſtituitur itaque omnis animi ſtupor ĩ toto capite. Cauſſa inſaniæ atra bilis eſt. Ob hoc, qui tali vitio laborant, cum impetu conſurgunt, & violenter quædã manu faciũt. Melancholia naſcitur ex atra bile, humore frigido & graui. Vnde melancholici demiſſi, triſtéſq; apparent: de omnibus ſuſpitioſi: homi-

num conſuetudinem oderunt:ſolitudine gaudent. Quemadmodum Bellorophõtes à poeta deſcribitur:

Nam cito longa maris remeabat littora ſolus
Cor edens curis,hominum veſtigia vitans.

Medetur per aluum purgatio:maximéqȝ vomitus.adhuc his magis vtrunqȝ veratrum ſoluit. LETHARGVS morbus eſt phrenitico contrarius.Eſt enim marcor, ac inexpugnabilis penè dormiendi neceſſitas. Huic vitio obnoxij omniũ quæ dicunt obliuiſcuntur.Atqȝ hæc in febre accidunt.Locus affectionis caput eſt.Nam in membranis cerebri conſtituitur. Cauſſa ipſius pituita eſt:humor frigidus,qualitate ſua ſomnum ac torporem inducens.Curatur contrario modo quàm phrenitis.Fricantur ſuperiores corporis partes acribus quibuſdam & pungentibus:tum ea adhibentur,quæ odore fœdo excitãt,mouéntqȝ.Cibi ſimiliter digerentes,ſecantéſqȝ pituitam.Fomenta capiti admouentur,& cataplaſmata quę exiccandi vim obtinent.Aliquando præcordijs.Crebro nanqȝ hæc inflammatione vexata,neruorum quoqȝ in capite principium conſtringũt grauántqȝ.HVMOR à capite oppleto deſtillat interdum in nares:interdũ in fauces: aliàs in pulmonem. Atque has tres ſpecies Latini grauedinem, raucitatem, & deſtillationem:

Græci κόρυζαν, βρόγχον, & κατάῤῥουν, ſiue καταςαγμὸν nominant. Grauedini itaque facile & breui ſuccurritur: deinde raucitati: Modico ſanè & calido victu, qui tamẽ validi generis exiſtat. Deſtillatio in thoracem non ex facili curatur: imò ſæpe immedicabilis eſt. Nam ab ea acri & ſalſa partibus exeſis, ſanguinis eductio ſequitur. Cuiꝰ tres cauſſæ referũtur. Vel enim vaſa eroſionem paſſa ſunt, ideóque ſanguis in arteriam deſcendens per os reijcitur. Vel rupta ſunt violenter: vel ob imbecillitatem non continent, ſed adaperta eũ tranſmittunt. Differunt nõnihil ſanguinis excretio, & reiectio. Hæc etenim vel à pulmone, vel aſpera arteria prouenit. Illa à ſtomacho, & ſanguis apparet nigrior. Qui ex thorace reijcitur, flauus magis & ſpumans. Deinde hic cum tuſſe: Alter ſine illa ſpuitur. Sæpenumero etiam à capite per palati foramina ĩ os defertur ſanguis: prębétque eductionis falſam imaginem. Loci, ex quibus ſanguis educitur, tres ſunt. Primus iuxta tonſillas: vnde minore cum periculo ſanguis reijcitur, faciliúſq; ſiſtitur. Secũdus aſpera arteria: atq; hic morbus curationem difficulter accipit, plenúſque periculi eſt. Tertius pulmo, vbi minus omnibus præſidij, magis periculi affectus habet. Comitatur enim maximè ſuppuratio & tabes, ſi Hippocrati fidem

adhibemus:Cuius verba hæc ſunt: Sanguinis ſpuitionem pus,hoc tabes, tabem mors ſequitur.Nonnulli etiam ex latere ſanguinem educi arbitrantur.At hoc ambiguum eſt.Salus vitij huius eſt, ſanguinem reprimere: vel venæ ſectione aliò ducere:idq; potiſſimum in iuuenibus:vel poſca ſiſtere,vel inædia copiam eius imminuere,vel ſimplici quodam medicamẽto,vt acatia,hypocyſtide,balauſtio,arnogloſſi ſucco,atq; id genus alijs. Vomicæ præſidiũ vetus ſunt ferramenta candentia,quæ thoracem exiccent: fluorémq; in exteriores partes dirigent.Iuniores conſuerunt mitigare cataplaſmatis,& alleuigantibus.Deinde repurgare medicamẽtis per os aſſumptis, priuſquam corpus inficiatur.Inſcribuntur autem propriè pharmaca ad purulẽtos.Quæ ſuppurationes medio latere coſtituuntur,reſectæ propriè ad linamentum humoris excretionem habent. Quæ enim ſi vniuerſim fiat,hominem interimit.Accidunt vero vomicæ quoq; ſub tranſuerſo ſepto,quæ(quia ſe intus oculunt)abſceſſus nominantur, non ex æquo periculoſi,nec curationi reſiſtentes:plerunq; intus rupti hac excernũtur,vel partibus exterioribus diuiſis. Diocles memorat etiam pectoris ſuppurationes interim per rupturam arteriæ,quæ ad renes ac veſicam tendit, illapſas, ibi ſimul cum

vrinis excerni. TABES, morbus periculoſiſſimus, quã Greci φθίσιν nominant, à capite oritur: inde in pulmonẽ vel thoracem deſtillat, colliquátq; corpus miſere: Difficilis eius ſalus eſt: aut nulla. Lactis vſus potui datur dum cõſiſtit. Loca ſicciora conueniunt. Superior Aegyptus & Libya maximè huic malo medentur. Hippocrates tabis cuiuſdam coxẽdicum meminit, ἰσχιαδικὴν vocãs, qua in vomicis circa os ſacrum accidentibus corpora colliqueſcũt. Similiter alterius renum, cui νεφριτικῇ nomen dedit. Porrò iocineris & lienis inflãmationes ſi in pus vertuntur, & ipſæ mediocriter corpus conſumunt. At hæ ſuppurationes multo citius curantur, minúſque periculoſæ ſunt, quàm quę pulmonem affligunt. Verum ſi minus in vomicas mutantur inflammationes, ſed crudæ duræq; permanſerint, malum habitum corpori afferentes, tandem aquam inter cutem cõciliant. Quatenus autem ſimplices extiterint in iocinere, febres continuas afferũt. In liene, quartanas vt plurimũ. Nam huius ſpeciei cauſſa bilis atra eſt, quæ in illo tanquam vaſe continetur. Vnde quartanæ auxilium eſt, ante rigorem ſummas partes propter humoris frigiditatem fomentis tueri. In remiſſionibus vomitum mouere prodeſt. AQVAE INTER CVTEM, quam Græci

ὕδρωπα vocāt, tres ſpecies ſunt neotericorum ſententia. Primā ἀσκίτην. Secūdam τυμπανίτην, Tertiā ὑποσαρκίδιον, vel λευκοφλεγματίαν nominant. Hippocrates duas ſtatuit. Nā τυμπανίτης & ἀσκίτης eiuſdem ſpeciei ſunt. Quoniam in vtraq; nutrimentum in aquam redactum inter inteſtina & peritonæum tranſfunditur. Sed in hac aquæ plus quàm ſpiritus in vnum intus cōtrahitur. In illa copioſior ſpiritus, minor humiditas eſt. In reliqua ſolidæ totius corporis partes in aquæ naturā tranſeūt. Hanc Hippocrates immedicabilem eſſe ſcribit. CAVSSA vero cuiuſque hydropis eſt authore Eraſiſtrato inflammatio iocineris & lienis, temporis ſpacio indurata. Nam cum alimenti in his viſceribus confectionem, atq; in totum corpus digeſtionem impediat, in aquæ ſubſtantiam ipſum commutat. Quod ita refrigeratū inter inteſtina & peritonæum tranſmittitur. Hoc quoq; malum Hippocrati ſalutis ſpem nullā habet. Quod ſi abſq; inflammatione hydrops, præſertim ἀνασάρκα eueniat, calore genuino refrigerato, nec alimentum in venis amplius continente, ſanguis caloris inops aquæ naturam induit: & ex venis ceu oleum ex vtribus defluit. Quouſq; enim ſanguis omnino in venis eſt, ab earum tunica continetur. Vbi vero in eo pingue exuperaue

rit,vt in obæſis,ſanguis effuſus adipem generat,aut in aquã verſus, aut dum non continetur, diffluit in locũ,qui inteſtina,& interiorẽ abdominis mẽbranã interiacet,aut per vniuerſum corpus diffunditur. Tollũtur duo alij hydropes vel malagmatis exiccantibus,vel medicamẽtis vrinas cientibus,vel hypelatis purgandi facultate præditis. RENES affecti dolores magnos pariunt. Locus autem male habens non ex facili poteſt diſcerni, quòd exterioribus partibus cohæreat: laxiúſque inteſtinum, κῶλον appellant, ipſis vicinum ſit. Quare cum offenduntur, vel externarum partium inflãmatio, vel cωli affectio eſſe apparet. Non rarò eiuſdem inteſtini conſenſu renes dolent. Vitia autem quæ in eis conſiſtunt hæc ſunt: inflammatio, exulceratio, calculi, vrinæ deſtillatio. Cum inflammatio renes exercet, nihil per vrinam excernitur: ſed dolores excitantur potius, non exactè locum dolentem oſtẽdentes ob eam, quam dixi, rationem. Verum intolerabiles: quippe qui nec cataplaſmatis cedant, nec imminutione per cucurbitulas facta remittãt. Sola pharmaca nephritica intus accepta præſidio ſunt. Si exulceratio eos infeſtat: interdum purulenta per vrinas excernuntur, interdum cruenta. Cum ineſt calculus aliquãdo cruẽta, partibus videlicet ab eo exaſpe-

ratis eijciuntur. Aliquando arenulæ in vrina ſubſident, ſi friabilis ſit lapis, vel etiam recens modo naſcatur. In remiſſione ſanguinolenta vrina redditur, quaſi nondum ſegregata. VESICAE AFFECTVS hi ſunt: vrina ſpontè proflues̃, pytiriaſis, calculus, exulceratio, quibus coles maximè conflictatur. His accedit vrinæ ſuppreſſio, eiúſq; difficultas, & ſtillicidium. Ex eiſdem vero, alijsq́; cauſſis proficiſcũtur. Græci prius vitium ἰσχουρίαν: alterum δυσχουρίαν: tertium στραγγουρίαν appellant. Inflammationis notę ſunt circa pubem dolores, vrinæ excernendæ difficultas. Soluitur cataplaſmatis, fomẽtis, & à cibo abſtinẽtia. Quod ſi excedat, ſanguinẽ per venam mittere conuenit. Exulcerationis indicia ſunt, ſanguinolẽta reiectio interim, interim purulẽta, nõnunquã muccoſa, & circa pubem dolores. Auxiliãtur epithemata: maximè dulcis boniq́; ſucci alimentũ. Adhæc quæ intus adhibẽtur, & byſſini medicamẽtum. Relaxationẽ veſicæ innuit vrina cum citra mingẽtis voluntatem effluit. Difficilem morbus curationẽ aut nullam recipit. LAPIDEM in veſica eſſe, digiti in anum immiſſi deprehendunt. ſed ita vt index ad mediũ in ſummo reflectatur: atq; in priorem veſicæ partẽ, vbi & lapidem innatantem contingunt, referúntque in veſicæ ceruicem.

CALCVLORVM differentiæ plures ſunt: quidam enim illorũ adnati ſunt: alij poſſunt auferri. Rurſus aliqui vel molles: nonnulli duri ſunt. Itaque magna ex parte adnati difficulter curantur. Ex alijs autem molles diſſoluentibus medicamentis cedunt. Duros & diſſolubiles chirurgi tollunt, cutem diuidentes ſuper veſicæ ceruicem. ἰσχουρία ſumma eſt vrinarum retentio. στραγγουρία vrinæ ſtillicidium. δυσχουρία vrinæ difficultas. Atq; hæc multis è cauſſis proueniunt. Aliquando calculo veſicæ ceruici impacto, aut meatu in totum obſtructo: vel ſi intus quippiam relictum ſit, aut ceruici inſideat. Vrinæ retentio propter veſicæ inflammationem nimiam, aut repletionem immodicam accidit, veſica ſcilicet ad excretionẽ imbecilli, aut ceruice vehementer ex vrinarum acrimonia contracta: aut ex grumis ſanguinis iter recludentibus, aut ex humorum craſſitie. Hæc medicamentis reſoluentibus oportet diſcutere. Plenitudinem vacuare ferramento, quod Eraſiſtratus καθετῆρα nominat: Romanorũ literæ S ſimili. STOMACHVS ſiue naturaliter, ſiue male affectus ſit, ventris & inteſtinorũ principium eſt. Eius vitia ſunt: inflammatio, exulceratio, ſanguinis eductio, exhalatio, humiditas, faſtidiũ, alimẽti incõtinentia. Inflãmationẽ notat dolor incumbẽs.

Succurritur fomẽtis & cataplaſmatis,alimentis quæ nutriant,& facile poſſint digeri. Exulcerationem in ſtomacho notant propriè putredo,mordicatio,deglutiendi difficultas. Auxiliãtur his extrinſecus impoſita,cibiq́; probè ſucculenti. Sanguinis excretio ijſdem medicamentis ſiſtitur,quibus ex pulmone eiuſdem reiectio. Exhalationem diſſoluunt euaporationes,& quæ ructus mouent. Humiditatem ſiccorum eſus,& abſinthij potio tollunt. Cibi faſtidium ex pituita circumiacente oritur,ideóq; exiccare illam ex vſu eſt. Aut à bile ſupernatante: Vnde ſtomachus purgandus eſt, aut naturæ impotenti functionem appetitoria reddenda. Nam oculi quoque propter ſpiritus viſorij imbecillitatem hallucinantur. Aduerſum victus faſtidium huiuſmodi adhibenda ſunt,quæ appetitum prouocent, ſuppediténtq;. Stomachus autem non continet accepta propter humiditatem,maximè impotentiam ac imbecillitatem,ſicut dimiſſa manus non continet apprehenſa. Expedit igitur corroborare,fortiorémq; ipſum reddere,tum vniuerſũ corpus reficere. VENTREM multa vitia ſtomacho communia infeſtant præterquam appetentiæ prauitas. Sed concoctionis male obita functio ventriculo propria tribuitur,vt quæ potiſſimum in eo adminiſtre-

tur. Quem affectũ profluuium ſequitur. Reliqua igitur pari modo cum ijs quæ ſtomachum cruciant curabis. FLVXVS exactè diſquirendus eſt, cur alimento incocto accidat. Et ſi inflammatio eam pepererit, cataplaſmatis & fomentis occurretur. Si pituita humiditatis parens, victus ratione exiccanda eſt. Si bilis exuperet, eam purgare vtile eſt. Si ex imbecillitate prouenit vt infirmis, robur corpori faciendum eſt. Si ab ipſa qualitate eorũ quæ cruda aſſumpta ſunt, vel quę cõſumi non poſſunt, vel aliter habent, deſperanda talium curatio eſt. INTESTINORVM tormina, δυσεντερίαν Græci nominant, generantur in ventris profluuio, humoribus temporis proceſſu corruptis, erodentibus, & exulcerantibus inteſtina. Fit etiam ſine fluxu, primum ab humore acri inteſtina intus exedenti. Eſt cũ in morbi deceſſione δυσεντερία contingat, quam curari Hippocrates prohibet, ne alium quempiam morbum maiorem accerſat. Illam, quæ ex fluore nata eſt, reprimentibus & ſiſtentibus ſanguinem medicatur. Aliam, cuius origo ex acris cuiuſdam humoris mordicatione eſt, leniẽtibus, quæq; ſimilibus exulcerata mitigare poſſint. Diuturno tamen morbo peſtifera & putrida ſolent deijci: tum proſunt immiſſi paſtilli ex ſandaraca, calce, auripigmen-

to, atqꝫ id genus alijs compoſiti. Vbi vero non fit conſueta deiectio, non his vtendũ eſt: quoniam conuulſionem faciunt. Quod ſi talis inteſtinorũ exulceratio in ſuperiore parte conſiſtat, paſtillorum nullus vſus eſt. Non enim ſtatim ad affectos locos perueniunt. Vbi ſanos contingunt, perniciem eis faciunt. Verũ medicamentis vtendum eſt, quæ ſuperioribus locis conueniunt: quorúmqꝫ titulus eſt aduerſus dyſenteriam inditus. Ex torminibꝰ interdum INTESTINORVM LEVITAS oritur, quæ propter multa vlcera nihil cõtinẽt. Quamobrem medicamenta hic nihil promouent. Vlcera nanqꝫ ægrè ſaneſcunt. Si vero ex inteſtini imbecillitate contigerit, tum quoqꝫ periculoſa eſt, nec ex facili tollitur. Remediũ autem erit, ſi curationem moliaris, robur vniuerſo corpori ac inteſtinis adiungere. Cæterum cauſſa morbi pituita eſt, inteſtinis lubricitatem illuendo generans. Succurrit inædia: & cibi pituitæ contrarij. TENESMVS propriè morbus eſt recti inteſtini. Hoc enim inflammatione laborans, cõtinuæ intentiones, & frequens deſidendi cupiditas exercet. Proſunt ei fomẽta parte inferiore adhibita, aſtringentia, tum alimentum ex valenti materia & reprimens. Qꝫ ſi perſeueret, nihilqꝫ imminuatur, ptiſſanæ cremore, & hircina adipe vten-

dum est. LVMBRICORVM qui intestina excruciant, triplex est species. Quidam enim teretes, palmi longitudine, vel etiam maiore ad stomachum vsq; proserpunt. Quidam breues, & maiusculis vermibus similes, ἀσκαρίδες Græcis appellantur. Rectum vero intestinum occupant. Nõnulli lati & oblongi adeo, vt in totum exporrigantur intestinum. Græci vocant κυρίας simul & ταινίας. Teretes itaque ad remedia faciles, maximè pueros: Ascarides eos, qui sub pubertatem sunt, infestant: nec præsidijs cædunt, nec excernuntur, nisi cibis acriorib9, & medicamẽtis diapicram compositis, oleóq; cum vino copisissimè adiecto. COXARVM dolores, articulorum vitia, & podagræ sola inter se magnitudine differunt. Cæterũ caussis & locis, qui affectum primum sentiunt, ijsdem constant. Pituita nanq; morbum plerunque constituit. Nerui sustinent, quibus articuli conseruntur, motúmque recipiunt. At coxæ dolor, quẽ Græci ἰσχιάδα nominant, in ipsius articulo ortus ad talos vsq; non raro extenditur. Præsidio erit sanguis ex talo missus, & cucurbitulæ coxis admotæ: clysteres acres, quiq; intestinorum tormina quodam modo faciunt. Adhæc cataplasmata acopa, & malagmata adhibita prosunt. PODAGRA solos pedes affligit: in statu febris inten-

tio eſt, eóqꝫ refrigerantibus opus eſt. In declinatione torpor cum frigore hominem occupat, ob quod calefacientia cõducunt. ARTICVLORVM vitia, prædictis ſimiles affectus ſunt, medicamenta therapeutica, tepefacientia, & victus rationẽ variam deſiderãt. MORBVS quem Græci ἐλεφαντίασιν, vel ἐλεφαντιὰν vocant ab elephanti ſimilitudine nomen ſortitus eſt. Nam qui hoc vitio laborant, ſummam cutem æquabiliter craſſam, duram, cancellatam, quaſiqꝫ ſquamis quibuſdã elephantorũ modo exaſperatam habẽt. Originẽ mali excitat pituita craſſa, & atra bilis, vel muccoſa maximè inhæreſcẽs. Illi enim humores feritatem ipſam denunciant. Quare ſolum veratrum ſiue nigrum, ſiue albũ, præſentaneum elephantis eſt remedium. IMPETIGINIS duæ ſpecies ſunt, quæ cutem moleſtant. Vna tolerabilis, mitiórqꝫ eſt. Altera difficilius tollitur: ideóqꝫ ἀγρίαν, id eſt feram Græci appellant. Squamulæ in his ex ſumma cute deſcẽdunt: ſub quibus locus rubicũdior, feréqꝫ exulceratus apparet. Gignitur affectus à pituita ſalſa & flaua bile. Vnde ceu in ſalſuginum vaſis fictilibus, ex cute oriuntur ſquamæ. Succurritur medicamentis pituitam mouentibus, & quæ extrinſecus corpori illinuntur. LEPRA quoqꝫ cutis vitium eſt, ſed magis ſubalbidum,

aſperiusq́ꝫ apparet ſpydracijs videlicet: ea ſunt paulo duriores puſtulæ in cute ſumma exortæ. PSORA vero ſcabies exulcerata magis eſt. Pituita ſalſa vtrunqꝫ malum propriè producit. Pharmaca pituitam cientia, tum quæ extrinſecus illiniuntur, quibus ad lepram & ſcabiem titulus eſt, ijſdem ſuccurrũt. VITILIGO quam Græci ἄλφον vocant, duas habet ſpecies: Leucum & Melanem. Hic ab atra bile generatur, ob quod magna ex parte melancholica ſubueniunt. Leucus à pituita non ſalſa. LEVCE habet quiddam ſimile alpho leuco: ſed magis colore terrã albidam refert. A lepra variat: quòd leuior hic cutis, minúſqꝫ aſpera quàm in illa ſit. Omnia huiuſmodi curant medicamenta pituitæ trahendæ idonea, tum purgationes foris adhibitæ.

DE CVRATIONIS PER MEDICAMENTA DIVISIONE.

MEdicina duplex eſt: prima interiores morbos curat, qua potiſſimũ victus ratione ſanans vtitur. Altera exteriores, citráque illam manu nihil peragitur. Interiorum medicaminũ ſpecies duodecim exiſtunt. Quædam cephalica, quædam ſtomatica dicuntur: Alia concoquunt: alia tuſſim ſanant. Alia anodyna quæ dolorẽ leuãt vocant,

alia alexipharmaca ſunt,alia purgant. Nonnulla propriè ad iecur dolens, inſcribuntur. Sic ad lienem,ad renes affectos. Eſt quæ aduerſus veſicæ calculos & vlcera nomen habẽt: ſimiliter ad vuluam. Iam vero ſtomatica ſunt quæ ad cicatrices cruentas,putridas,eroſas,& dentes faciũt. Eódem referuntur quæ aphtas, & cruſtas,tum quæ vuam deſcendentẽ ſanãt. Quæ cõcoquunt partim ad ſtomachi vel ventriculi imbecillitatem conducunt: partim ad horum inflationẽ. Partim etiam laterum dolores, vel pulmonis morbos tollunt. Partim tabidos ſaluti reſtituunt: & ſpirandi difficultate maxima diſtorſos,vt ſpirare ſine ſono & anhelatione non poſſint,ἀσθματικοὺς Græci nominant. Partim eos qui non niſi recta ceruice ſpiritum trahunt,ὀρθοπνοικοὶ vocantur. Aliqua ex his aſperitatem arteriæ,& vocis impedimentum auferunt. Porrò anodyna nunc renum affectus,nunc ventris profluuia, aliâs inteſtinorum tormina,aliâs plenioris,tenuioriſq; inteſtini mala:cõmuniter omnia quemuis dolorem mitigant,extinguúntq;. Alexipharmaca ſimplicia alia ad aliud venenũ vſurpamus. Theriace aduerſus omnia,& prius,& pòſt ſumitur. Inter purgantia quædam per ſuperiores corporis partes agunt: quemadmodum quæ veratro conſtant:vomitúmq; cien-

tia. Per inferiores ſcammonia, aloe, elaterion, colocynthis, euphorbium, coccum gnidium, atq; his ſimilia purgant. Tertio ordine ab his ponantur, quæ lumbricos latos repellunt: cuiuſmodi medicamentum eſt, quod cerui cornu, menta, & pipere præparatur. Eſt & quarta ſpecies caput tantum per os atque nares purgantium, quæ in capitis, oculorúmq; doloribus propriè ſumuntur. Adhæc quæ in arquato crebrò in vſu ſunt. Conuenit autem ſuperior purgatio morbis lõgis propulſandis. Tẽpus harum eſt, cum morbi intermittunt. Inferior acutis, vt laterum pulmonisq; affectibus. Tempus earum omniũ & particularium acceſſionũ remiſſio eſt. EXTERIORVM REMEDIA vndecim ſpecies cõtinent. Alia diſcutiunt, alia concoquunt, alia cruentis ſtatim imponuntur, alia pus mouent, alia repurgant, alia implent, alia reprimunt, alia cicatricem inducunt, alia oculis, alia vniuerſo corpori adhibentur, alia adurunt, ereſypelatis, herpetis, carbunculis idonea. Alia ſunt quæ illinuntur, acopa, & excalfacientia, ad neruorũ reſolutiones, articulorũ morbos, podagras, tetanos, opiſtothonos, omnémq; neruorum rigorem. Alia puſtulas in ſumma cute oriẽtes, leucen, alphum, impetiginem, & lepram purgãt. Quæ digerunt & concoquunt, tuberculis, &

cuilibet id genus abſceſſui auxilio ſunt. Digerentia conſtant ſale: nonnunquã nitro, vt Cteſiphonis compoſitio teſtatur. Concoquentia reſina, galbano, ammoniaco, thymiamate. Enæma pharmaca fuſci coloris ad recẽtia corporis vulnera valent. Quæ propriè viridia & nigra ſunt, vt barbarũ, capitis mala & canum morſus ſanant. In vlceribus partim pus educentibus vtendum eſt. Inflãmatis leuia conueniunt, vt tetrapharmacum; Sordidis repurgantia, vt viride relaxans. Cauis implentia, ſupercreſcentibus reprimentia, quæ ex myſi & ſquama conficiuntur, in vehementi ſanguinis fluore ſiſtendo non parum efficacia. Adurentibus interim in diducendis partibus, ac aperiundis vtimur: velut in abſceſſuum tumore: interim cum palpebræ ſumma cutis relaxatur, & procidit. Aliquando in capitis morbo difficillimo, quẽ κεφαλαίαν à Græcis vocari diximus, per altas cruſtas humores in exteriorem partem educentes aſſumimus. Adurunt lixiuium, calx viua, auripigmentum, ſandaracha, alumen, atq; id genus alia. Ex cephalicis medicamentis aliud ad furfures capitis, ſordes, & papulas valet. Alia cephalalgiam, & heterocraniã leuant. Aurium remedia partim earum inflammationem, partim exulcerationem, partim influxum, partim grauem

auditum, partim contusionem iuuant. Oculorum pharmaca septẽ species habent. Quædam enim ad incipientes lippitudines, quæ διὰ γλαυκίȣ, & διὰ κρόκȣ, & κυκνάρια Græcè inscribuntur. Quædam ad eorũ affectus, vt nardina, & theodocia appellata. Quædam ad fluorem, quæ ex libano, acatia, & ericæ fructu cõponuntur. Quædam ad scabritiem, vt metallica: nempè vstum ęs, chalcitis, & æris squama. Quinta ad siccam lippitudinem, & scabiem collyriorum species est: tum siccorum oxydercicῶn, id est visum exacuentium, quæ in superiorum numero locantur. Sexta humidorum quæ ad suffusiones inscribũtur, ex felle & hyæna potissimum composita. Septima plasmatum species in oculis vehementer inflammatis & dolentibus vsurpatur, ex meliloto, dulci aqua, & teli similibúsque confecta. Oblinimus palpebras initio repurgantibus, & cuiusmodi sunt diaglauciu, & diacrocu medicamina. Etiam solo ipso glaucio. Interioribus exiccantia, & lenia admouemus, vt nardina & theodocia. Quæ vero ad colorem decorémque formæ conciliandum illinũtur, qualia hydychroo, & sandyce constituuntur, non medicinæ, sed cultus, ac elegantiæ sunt propria.

DE OCVLORVM AFFECTIBVS.



Ffectus qui totum oculum exercent, hi ſunt: taraxis, lippitudo, epiphora, inflãmatio, tumor, inflatio, durities, chymoſis, carbunculus, ſtrabiſmus, contractio, tremor, myopiaſis, gangræna, putredo, vlcus, fiſtula, xerophthalmia, pſorophthalmia, ſclerophthalmia proptoſis, atrophia. IN MEMBRANIS HI CONSISTVNT: ruptura, exæſio, diſtenſio, anaſtomoſis, craſſities, denſitas, corrugatio, extenſio, raritas. INTERIORES PALPEBRARVM PARTEIS infeſtãt, aſpretudo, craſſities, ſycoſis, tuber, durities, chalazoſis, pladarotes, putredo, ſarcoſis, poriaſis. EXTERIORES: guttæ, calculus, phthiriaſis, meliceris, gãgrena, phymata, colobomata. IN SVPERIORE PARTE: chritæ, poſthia, trichiaſis, dyſtichia, triſtichia, palangoſis, pyroſis, ptiloſis, pſoriaſis, madarotes, paralyſis. COMMVNES TOTI PALPEBRAE: paralyſis, proptoſis, ectropion. ANGVLIS HI ACCIDVNT: encãthis, ancylæ, pterygion, rhæas, proſpyſis. EXTRINSECVS: ęgilops, ãchilops. ALBVM AFFLIGVNT: pſydracion, hulcus, hypoſpagma, abſceſſus, chemoſis, cæloma, pterygion, phacoſis, icterus, porus. CIRCVLVM OCVLI infeſtãt,

argemõ,nephelion,achlys,epicauma,hulcus, botrion,phlyctis,myocephalon,ſtaphylema, hypopiõ,ruptura,cicatrix, leucoma,cæloma, proptoma, vnguis, pyoſis, exulceratio. IN PVPILLA ESSE SOLENT: ſuffuſio,glaucoſis,mydriaſis,amauroſis,rhytidoſis, nyctilops,hemeralops,myopyaſis,diapyaſis. MEATVS EXERCENT: aporexis,paremptoſis,ſymptoſis,anthracoſis. TARAXIS IGITVR eſt,cum oculus in exteriorem partem conuertitur,tandémq; rubicundus mediocriter euadit. LIPPITVDO, cum album rubeſcit,& palpebræ attolluntur,cũ dolore coniuent,ægréque manus admotas ferunt. INFLAMMATIONE rubeſcunt vehementer oculi: palpebræ eleuantur,vt niſi magno negocio queas ſuſpicere. EPIPHORA tum inflammationis magnæ vniuerſo illatæ corpori: tum inſignium fluorum cõmune nomen eſt. Propriè vero de oculis refertur: vbi cũ maxima inflãmatione,etiam humoris copia influxerit. OEDEMA nominant,cum eleuatus apparet oculus, & colorem amiſit, vel etiam ægrè mouetur. Interim album quoq; nigrum excedit. INFLATIO dicitur, cum ſubitò tumeſcens oculus decolor fit,exuperante pituita: vt plerunq; ſenibus,æſtate potiſſimum ſolet accidere. SCIRRHOSIS ex inflãmatio-

nis diuturnæ vehementia oritur, carne increſcẽte, & ſubliuida. PROFLVIT oculus cum non ſolum rubet, ſed multas lachrymas excernit. XEROPHTALMIA, id eſt arida lippitudo, cũ anguli hulcera & aſpretudinem, pruritúmq; contraxerunt: palpebrę rubent, & lachryma ſalſa & acris profluit. SCLEROPHTALMIA, quaſi dicas duram lippitudinem, eſt cũ palpebræ duriores ſunt, oculi rubent, & cũ dolore quodam graueſcunt. PROPTOSIS appellatur, vbi ab inflammatione moti ſede ſua procidũt. ATROPHIAM nominant, cum ex longa imbecillitate, vel alia quadam latente cauſſa paululũ quaſi propulſus, deinde cauus ad radicem, cum dolore minor euadit, obſcuréque aut nihil omnino videt. SCABRAE dicuntur palpebræ, cum euerſæ ſanguinolentiores apparent: adhæc magis aſperæ carnoſæ'que, & fici acinis ſimiles. CRASSAE vocantur, vbi euerſæ duriores ijs quæ naturaliter ſe habent, exiſtunt, & ſcabris magis carnoſæ. SYCOSIS, id eſt ficus, accidit cum in palpebrarũ parte interiore carni quid ſimile enatum fuerit: quod emineat, oculus totus graueſcat. TYLOSIS nuncupatur, cum in palpebris aſpretudines ex ſenectute craſſiores, albidæ & parum ſenſiles extiterint: eóq; minus demoliri licet. SCLERIASIS eſt tu-

mor palpebræ cum rubore doloréq;: difficulter remedijs cedit. Durat magis quàm inflãmatio. CHALAZIA rotunda in palpebris tubercula ſunt, & mobilia: ſimulq; digito huc vel illuc impelluntur. Nomen à ſimilitudine grandinis acceperũt. PLADAROTES, cum palpebræ molleſcunt nimis. PVTREDO cõmunis eſt omnium partium. Palpebræ ex eadem laborant, vbi tumentiores fiunt, & aſſiduè diffluunt, adipem paulo copioſiorem ſortitæ. CRITHE quæ & POSTHIA dicitur, tuberculum eſt paruulũ in eiſdem palpebris ſupra pilorum locũ. Figura hordeo ſimile, vnde appellatum eſt. Generantur alia quoq; tubercula in medijs palbebris eodem appellata nomine. LITHIASIS albida quædã & craſſa, callis, lapilliſq; ſimilia, quæ oculum premunt, in palpebris retorſis oſtẽdit. PHTHIRIASIM vocamus, cum palpebrarum pilos exigui pediculi infeſtant. DITRICHIASI laborat oculus, cum pilis naturalibus alij ſubnaſcentes ipſum premunt, fluorémq; concitant. PTILOSIS eſt cum alij quidem ſubnaſcuntur, naturales autem collapſi, fractiq; ſtimulant ac pungunt. PHALANGOSIS, cum pilorum ſubnaſcentiũ duplex, triplexve acies, vel in ſuperiore, vel in inferiore palpebra prouenit. RESOLVTVS oculus dicitur,

vbi naturali motu deſtitutus, neque ſurſum, neque deorſum intendi poſſit: verum ſentiendi expers conſiſtat. Frequenter hoc mali partibus oculi accidit. ECTROPION palpebrarum vitium eſt, cũ exulceratis oculis plus extra feruntur. ENCANTHIS, vbi ex vlcere caro in angulis iuxta nares ſupercreuerit, quæ palpebras parum diduci patitur. Nautæ hoc vitij peculiare habent. VNGVIS vero eſt in albo oculi præter modum exulcerato, carneq; oppleto, membranula neruoſa, quæ oriens ab angulo, ad pupillam & verticem eius peruenit. RHOEAS, cũ anguli foramen ex latẽte quadam cauſſa, aut praua curatione patescit, vt lachrymas continere non poſſit, ſed poſtea ſemper humorem dimittat. COHERESCVNT frequenter palpebræ cum albo oculi, vel nigro ſcilicet, cum in vtroq; fuit hulcus negligẽter curatũ. Et ſi nigro cohæreant, viſus omnino prohibetur. Sin albo, minus. Græci hoc malum ἀγκυλῶσιν appellant. AEGILOPS, vel ANCHILOPS, abſceſſus quidam eſt in angulo, qui naribus propior eſt, pus continens: aut exæſo oſſe, pituita aſſiduè, vel ad angulum, vel vſque ad nares deſtillat. SPYDRACION de toto corpore, interim de oculi albo dicitur. Eſt autem velut puſtula in ſummo rubicundum. HVLCVS oritur

in albo vel nigro, cũ summa cuticula, quam Græci ἐπιδέρμιν nominant, diuisa lunæ formam vel rotundam, cauam, similis coloris, vel subalbidi acceperit. HYPOSPHAGMA vocant, cum vasis ab interiore tunica ruptis ab ictu, sanguis intra albi excessum, & interiorem tunicam coierit. Atq; oculi color statim cruentus, pòst liuidus existat. CHEMOSIS ex inflãmatione vehementi vtrasq; palpebras in exteriorẽ partem detorquet, ne totum oculum contegant. Propriè vero chemosis, cum album vtraque iridis parte inflãmatione afficiatur: iuxta irim cauum hiatularũ similitudine appareat. CAELOMATA sunt rotunda & caua hulcera, racemis latiora, quæ in oculis circa irim nascantur. ARGEMON in iridis circulo, vel in albo, interdum etiam nigro, hulcus rotundum & subalbidum oritur. NEPHELION summæ cutis hulcus paulo maius argemo, albidum. ACHLYS est circa totum nigrum extremi hulceris cicatricula tenuissima, aeri caliginoso assimilis. EPICAVMA, cum extrinsecus epidermis adusta hulcus contraxerit, vel etiam paulo altior q̃ epiphora magna fiat. BROTHYON est hulcus cauum, purum, angustum, centris rotundis simile: hulcusculo altius. PHLYCTAENAM vocãt, vbi per exulceratione͂, vel etiam

ſine hac exterior ceratoidis tunicæ membrana tenuiſſima & ſublimis elata, intra ſe humorem collegerit: aut ſub tunica craſſior humor currens phlyctænam pariat. MYOCEPHALON morbus eſt, cum tunica priore iuxta irim, exulcerationis vitio exæſa, ſecunda inclinat: vt ceu muſculi caput referre videatur. STAPHYLOMATE oculi pupilla cum inflãmatione & dolore attollitur: Et album colore acino vuæ ſimile redditur. HYPOPION vniuerſam irim pure occupat, vel eius dimidium. REXIS eſt exulceratio ab ictu, vel alia quadam cauſſa, in alto integras ſubinde membranas diuidens, vt etiam humores, quibus vidẽdi facultas adminiſtratur, effundat. CICATRIX appellatur, vbi in nigro oculi ex alto hulcere mẽbranæ craſſities emergit: & color magis albeſcit. Accedit quoque albi mẽbranæ, ſed non perſpicitûr. LEVCOMA nihil à cicatrice differt, niſi quòd ex hulcere maior cicatrix ſimul & craſſior ĩ iride naſcatur, quam leucoma nominant. CLAVVS cum leuitate & albedine, velut carnoſa cicatrix, durum nigri tuberculũ eſt. Frequenter etiam albo nigro cohærenti euenit. SVFFVSIONEM quidam interpretantur, cum humor quidam in pupillam deſtillauerit, hæreátq; ſæpe pertinaciter adeo, vt viſum offen

dat, vel in occurrẽtibus hebetet. GLAVCOSIS est humoris, quem Græci κρυσταλλοειδῆ vocant, in album atque aqueum colorem mutatio, cuius gratia visus impeditur. IN MYDRIASI pupilla quidẽ nihil colore variat, dilatatur autẽ magis, vt iridis circulo sit proximus, & visioni noceat. PHTHISIS appellatur, dum pupilla arctè coit, vt stimulo assimilis fiat, tum hebetior, tum rugosior, vt ex imbecillitate periculosa, aut ex capitis dolore vehementi. SYNCHYSIS, dum humores oculorum non in loco consistunt, proprium ordinem seruantes, sed huc illúcque feruntur. HEBITVDO summa visionis sine caussa euidenti offensio. NYCTILOPES vocantur, qui die vident obtusius, sole occiduo acrius: Nocte magis adhuc: vel contrá. Die parum. Vesperi aut nocte prorsus nihil. MYOPES vicina vident: remota non item. DIAPIESIS humor exiguus in pupilla, qui difficulter euaporat ac discutitur, suffusione siccior. APORRHEXIS est, quando meatus à cerebro & meninge in oculũ descendens, ex ictu capitis, vel casu ex alto diruptus, cæcitatem affert. PAREMPTOSIS, vbi meatum qui à basi cerebri veniens, oculo videndi facultatem tribuit, humor adaperto, vel rupto vase incidit, obturátque eum. Vnde cum do=

lore viſus offenditur. SYMPTOMASIS accidit cũ meatus ex tabe, vel imbecillitate fit arctior, conciditq́;. Quod vitium vt rarũ eſt, ſic remedijs ægre cedit. CARBVNCVLVS cruſtoſum eſt hulcus, depaſcens cum fluore, & inflatione: interim in toto corpore, interim in oculis febribus orientibus.

DE EXTERIORIBVS CAPITIS AFFECTIBVS.

EXtrinſecus accidũt hi, qui inter longos aſcripti non ſunt.

DE CALVARIÆ FRACTVRIS.



CAluariæ fracturarum differentiæ quinq́; exiſtunt: rhogme, engiſoma, ecpieſma, apochema, & camaroſis. Diſtentio ſuturarum hydrocephalon, furfures, ptyriaſis, meliceris, atheroma, fauus. Porrò eam partem quæ capillo tegitur, & mentum occupant, alopecia, ophiaſis, caluities, phalacroſis. Pili omnes fluunt, exterminantur, quaſſantur, ſcinduntur, in puluerem rediguntur, ſubflaueſcunt, caneſcunt. Oculorum morbi ſeparatim conſcripti ſunt. Aurium contuſio, pterygomata, fractura cartilaginis, ſordiũ vel exuperantia, vel defectus, grauis auditus, ſurditas, puris fluor, curſus graueolens. Nares excruciant ozæna, polypus, hulcus, fractura, peruerſio, compreſſio, ſimo-

ſis. Os infeſtat gingiuarum putredo, dentium eroſio, eorúmq; dolor: & cũ è ſede ſua labant, abſceſſus, epiglottis, epulis, parulis, aphthæ, cruſtæ, pariſthmia, vua, ficus. Faciem occupãt ephelis, vari, lentigo, oſſium fractura. Diſtenſio cõmiſſurarum, eluxationes maxillæ à gena. Ceruicẽ habent ſynanche, cynanche, ſtrangulatio, vertebræ excidentes, ſtrumæ, ſteatomata. Scapulas malè habet, verticis ipſarũ fractura, diſtẽſio. Iuncturã cubiti occupant meliceris, atheroma, ſteatoma, humor aqueus. Primæ palmæ partem ganglia. Digitos manus & pedis chymethla, rediuiũ. Quamcũnque corporis partem inflãmatio, tumor, inflatio, duricies, abſceſſus, hulcus purum, hulcus ſordidum, cauum, ſupercreſcens, cruſtoſum, ſiccum, fluẽs, ſubpaſcẽs, calloſum, fiſtuloſum, putredo, phyma, dothien, therminthes, phygethlon, chalaza, pagedęna. Phlyctides, carbũculi, epinyctides, ereſypelas, herpetes. Mamillas, tum naturalia ſexus vtriuſque vexant carcinomata. Quamlibet corporis partem impetunt carcinoma occultum, carcinoma vlceratum, therioma. Inguina, bubones ſimplices, phymata purulẽta inuadũt. Genu, gonyalgiæ, rheumatiſmi, calli. Poplites ſteatomata, anchylæ. Tibiam, varices. Suram durities, chironia hulcera. Sũmam pedis partem, ni-

gredines,necroſis, podagra, fiſtula. Calcem, lepis.

DE CVTIS AFFECTIBVS.



Vtẽ, totiúſcꝫ corporis partes exagitant lepra,pſora,alphos albus, alphos niger,leuce,impetigo ſimplex,impetigo agreſtis,dracortiaſis,acrochordones,thymi,myrmecia,clauus,calli. Quidam horum ex podagra,& articulari morbo quædam ex ſeſe oriũtur. Sedem afficiunt hæmorrhoides cecæ, rimæ,proptoſis,cõdylomata,pylides. Aduenit etiam vuluæ proptoſis,cum in exteriora procidit.Scrotum habẽt,enterocele,cirſocele, epiplocele,ſarcocele,porocele,ſteatocele. Totius corporis oſſa patiuntur cariem, ſpacelum,fracturam ſine vulnere,vel cum vulnere,ecbyrſoſes.Fracturarum differẽtię quincꝫ ſunt.Prima ſchidacedon facta,id eſt,vt latini homines intelligãt,per rectitudinem.Altera per tranſuerſum καυληδὸν Græci dicunt.Tertia raphani in morem ῥαφανιδὸν.Quarta caryedon,poſtremo alphitoedon facta. Nigreſcũt interim oſſa in fracturis,interdum ſine his. Articulis accidunt,paragogæ,è ſede propria motio,eluxatio,luxatio,colligatio, poroſis, rheumatiſmi,diſtenſio commiſſurarum.

DE CHIRVRGICA.



Hirurgia eſt alieni, vt propriè vocant, per inciſiones, compoſitionéſq́ cum via quadam & ratione ablatio: adhæc vulnerum atq; hulcerum humano corpori accidentiũ curatio. Primariæ eius actiones duæ ſunt: compoſitio, & diuiſio. Harũ rurſus variæ ſunt ſpecies. Compoſitionis quidẽ, fractorum oſſium coniunctio, & deligatura. Luxatorum repoſitio, inteſtinorum, quæ prociderunt collocatio: adhæc vuluæ, & recti inteſtini. Curtorum applicatio, ſiue adductio, vt in naribus, labris, atq; auribus. Diuiſionis ſpecies: ſimplex inciſio, præciſio, hypoſpatiſmus, periſcythiſmus, angeologia, exciſio, aduſtio, raſio, limatio. Simplici ſectione in abſceſſibus vniuerſis vtimur. Diuidendum vero membrum eſt recta linea, non trãſuerſa. Præciſioni locus eſt in alis, inguinibus, natibꝰ, & anu. Hypoſpatiſmo in facie, cum oculi fluũt. Periſcytiſmo in ſincipite, & colis pellicula, quam præputium vocant, nigricante. Exciſioni in membris nigreſcentibus, & capitis fracturis. In oſſibus omnibus, alijſq́ multis vſtio, raſio, limatio vtiles ſunt. Vſtio candentia ferramẽta requirit: propriè in ijs malis quæ depaſcũt, & oculis rheumaticis, coxis, vel etiam interioribus. Etenim

in tabidis candentia ferramenta aſſumuntur, & in lienoſis:tum ĩ humeris,qui in alam excidere conſueuerũt. Inſuper in ægilope,in nigricantibus, vel ijs quæ propter adaperta vaſa adurũtur.Poſtremo in alijs ſanguinis profluxionibus.Hæc itaque in capite conſiſtunt, quæ à manu auxiliantur.Fracturarum genera ſunt hæc.Rogme,empiſoma,ecpieſma,apochema, & camaroſis. Nonnullorum ſententia additur trichiaſis, ſumma oſſium inſculptio. HYDROCEPHALON quatuor ſpecies obtinet.vnam cum intra cerebrum & inuolucrum eius humor ſubſidet. Alteram, cum intra membranas & oſſa:Tertiam,cum intra os,& pericranium:Reliquam,vbi os & cutem interiacet. Circa cutem oriuntur meliceris,atheroma,& extrinſecus incidens alopetiaſis.Itaq; alopetias laniamus,meliceridas & atheromata obliquè, vel ſimpliciter ſumma cute diuiſa, deinde tunicis per digitos auulſis,cum ipſis humoribus,qui inſunt auferimus.Hydrocephalon ſub cute & pericranio duabus,vel tribus rectis lineis inciſis euacuamus.Quod ſub oſſibus eſt,excidimus.Quod tandem intra meningem cerebrũ incidit,inſanabile eſt.Onus fracturarum caluariæ ſpecies exciſione adminiſtratur, quæ id quod in oſſibus fractum eſt,aufert.Veteres igitur mo

diolis teretibus ſecantes ipſa excidebant. Poſteri terebris vſi ſunt,ægros in ſedile,tum ſeipſos collocantes. Hac tempeſtate ægris tantum ſedem exhibēt. Ex oculorum vitijs,hæc manus præſidium expetunt,trichiaſis,hyatides,encanthides, vngues, ſtaphylomata,ſuffuſiones, fluores diuturni,& excedentes, palpebrarum calculi,conglutinatio:in angulis oculorum ægilops. Palpebras itaque procidentes ſurſum attrahimus: id quod præter naturalem habitum eſt auferentes. Vbi alius pilorum ordo ſubcreuit, acus candens ab angulo ſub ipſis radicibus,immittitur. Hydatidas ſingulatim tollimus. Encanthidas,vngues,& ſtaphylomata præcidimus. Quæ ſolum ad ipſas radices per medium tranſuere acu lina ducente oportet. Vngues vel encanthidas,vel lino, vel hamulo attrahimus. Hypochyma punctione tollimus,iuxta minorē angulum,verſus pupillam adhibita. Deinde in eius ſummo concretum pupillæ humorem fractionibus radentibus: ſtringentéſque, ne ſuſpitias. Hypoſpatiſmus, periſcythiſmus,& angiologia fluorem ſiſtunt. Hypoſpatiſmus itaqꝫ tribus fit ſupra frontem diuiſionibus. Poſt ferramento quod ſpathomolā appellant per corpora quæ interiacent,tranſmiſſo. Periſcythiſmus eſt,cum tranſuerſis lineis coronæ modo

frons ſecatur. Altera ipſius parte paulo ſuperius quàm tempora ſunt, quædam triangula amputantur, Græcorum literę Δ ſimilia. Angiologia perficitur vaſis latentibus à tempore ad tempus in profundum diuiſis. Palpebrarum calculis medemur magna ipſarum diuiſione: qua lapides integrè auferimus. Connatas palpebras ſcalpello aperientes ſiccis medicamentis diducimus. Aegilopas ad os vſque excidentes ferramẽtis candẽtibus adurimus. Sunt autem qui loco ferramentorũ candentiũ terebra os forant, vt in naribus. Polypum, qui in naribus naſcitur, acuto ferramento ab oſſe reſoluimus: & raſorio poſtea radices demetimus. Ozænæ raro ad ſanitatẽ proficiunt: curatio vero earũ in ijſdẽ verſatur. In ore epulidas, & parulidas diuidimus, vbi ſuppuratio ſe oſtenderit. Vuas diſcedentes, ſiue collapſas nimiũ incidimus, volſella præhendẽtes. Dentes eximimus remouendo. Durities excedentes naturam in tonſillis aduerſis plagis amputamus. IN CERVICE ſteatomata, & ſtrumas, ſumma cute diuiſa, & digitis auulſa, tum vaſorum complexu diſſoluto tollemus. Ganglia quæ in metacarpijs vt plurimũ eueniũt, & mulieribus lana victum quæritantibus interim extundimus: interim ceratis mollita curamus. IN ALIS tubercula, & ſtrumas præ-

cidimus. Similiter in inguinibus. Abſceſſus inter coſtas diuidẽtes non vniuerſim, ſed moderatè, paulatímque puris excretionem molimur: ſunt qui exurant eos. CARCINOMATA in multis corporis partibus, maxime fœminarum mammis oriũtur. Præcidimus vbicunq; fuerint, & ferramentis perurunt non admodum candentibus, ſiue ignitis. Non deſunt qui alijs ferramẽtis ignitis ſimul ſecantibus & adurentibus vtuntur. Exomphali omnes quibus vmbilicus extuberat, appellantur. Differentia triplici comprehendũtur. Quidam enim pneumatomphali, quaſi qui ſpiritum ſub vmbilico collegerint. Alteri enteromphali, quibus inteſtina ad vmbilicum procedũt. Reliqui hydromphali, qui aquam ſub vmbilico geſtant. Omnes differentiæ manu ſanantur, lino duplici per acum immiſſo, & vmbilico cõſtricto. Hydropicos paululum ſupra vmbilicum pungimus ferro, quod myrſinen vocant. Apellarum duplex curatio. Horum qui intrinſecus: illorũ qui extrinſecus orbiculatim in ſumma cute diuidũtur, vt glans intus attrahatur. Qui dicuntur atreti, ſiue foramen habeant tenue, aut nullum omnino, auxilium capiunt hoc pacto: Acuto ſpecillo immiſſo, id adaperitur: deinde digito ſubmittentes vndique diſſoluimus. Lapides in veſi=

ca habentes secamus, calculum vesicæ collo stringentes, excisorio cultro diuidemus subito adiectam materiam, & ferro ad id idoneo calculum auferemus. Quibus vrina propter copiam non redditur, vesica distenta vt remittere se nequeat, per fistulam vrinam elicimus. Immittitur autem in anum per meatum ad vesicam vsq;. Tumorum qui scroto accidunt, septem species sunt: hydrocele, porocele, steatocele, sarcocele, epiplocele, cirsocele, enterocele. A quibusdam hæc adduntur, hyderenterocele, sarcoepiplocele. In his qui hydrocele laborãt, scrotum diducendum est, & vbi maximè venosum est, humorem tunica comprehensum euacuare oportet, & tunicæ superuacanea auferre. In quibus sine tunica est, excernere humorem sufficit. Steatocelas, & porocelas similiter excedentes sinistra manu secare conuenit, scrotum postea in superficie diducere, donec adipi, vel callo, vel alij cuicunque incidamus, & hoc auferemus. Pari modo sarcocelici tractanctur. Oportet autem carnem albicantem præcidere: rubram emollire, & in atrum colorem mutare. Adhæc reliquias adimere expedit. In cyrsocelis extendes varicem hamulo: in superficie diuisum auelles, relicta ceu digiti parui latitudine. Reliquum extẽsum abseca. Cura vero nõ mediocris ad-

hibenda eſt in neruis illis complicatis, κρεμαστῆρας Græci vocant, & teſticulis. Enterocelicos, & epiplocelicos ita ſecamus, reprimentes inteſtinum, vel omentum diligenter, mox ſeminariũ meatum: auferemus quàm fieri poterit commode. Sin minus, peritonæum attrahentes, & fune acceptũ præcidimus. Hæmorrhoidas lino duplici per ſedem ipſam eleuantes, complectentéſque poſt horas duas abſcidimus. Fiſtularum nonnullæ perforatæ non ſunt, os tantum habentes. Quædam perforatæ vel intus in anum, vel extrinſecus. In perforatis in anum ſpecillum immittes: mox digitum in ſedem adferẽs, inteſtinum attrahes mucrone ſpecilli, idq́ꝫ amputabis, ab inferiore loco incipiens, perforatas extrinſecus ſpecilli acumine penetrare vtile eſt omni ſano corpori. Sunt autẽ qui varices in cruribus primum extrinſecus inciſionibus inſigniunt: poſt hæc ſummam cutem diducũt: deinde hamulo varicem attrahentes, deligant, atque tunc abſcidunt. Dracontia varicibus ſimilia ſunt: magnum vero dolorem dum paululum prominentes mouentur, concitant. Oportet autem deligatis, vt varicibus, ſummam cutem detrahere, ſicq́ꝫ pręcidere. Clauos cultello, acrochordonas, thymas, myrmecias excedentes adurimus, vel pſorico illinimus. Curta in naribꝰ,

auribus, oculis, hoc modo ad naturalem habitum reſtituuntur: labra ſcalpello vndiqꝫ deradentes cruentamus: deinde adducentes denſius ſuimus. Labra vtrinque vbi connata ſunt inuicem intus & extrinſecus diuidimus, diſtendimúſque, nec caro inde relaxatur. Quæ auribus, vel naribus curta accidunt, cum fuerit cartilago diuiſa, producere aliam conuenit: vel ſic conſuere lanæ filo.

DE OSSIBVS CONFRACTIS.

FRacta membra ex diſtẽſione quidem in rectũ reſtituuntur. Ex deligatura callo obducuntur. Caluariæ ergo fractiones quot modis accidant, quomodóque curentur, diximus. Et ſi in facie fractura contingat vt in capite, ſanare conuenit, oſſe, quod affectum eſt, aduſto. Sciendum autem eſt, quæ oſſa fracta curationem non recipiant. Si igitur nares confractæ ſunt, non rectè poſſunt reſtitui. Aurem etiam frangi ſcribit Hippocrates, quoniam eius cartilago imitatur os: ægerriméque in priſtinam figuram reducitur. Verum ſi ex palato fracturam accipiant, reſimæ euadunt, & inſanabiles. Porrò ſi clauicula, vel iugulum, vel alia quædam coſta, & hæc frequẽter reſarciri non poſſunt. Epithemata in iugulo adhibẽda ſunt, ipſumqꝫ ab ala, ad alam deligandum eſt. Cæ-

terum ſi quod maiorum membrorũ fractum ſit, vel minorum partium, vt digitorum nodi, vel oſſa volæ, vel oppoſitæ eius partis, vel tarſi, omnia quidem in magnis caulædon, vel raphanedon, & ſchidacidon frangũtur. In tenuibus caryedon, vel alphitidon. Omnia ergo fracta deligantes, extendentéſque admodum vehementer & valide diducere, & multum inuicem ſeparare oportet vt reſtaurentur, priſtinámque figuram recipiant. Non autem in rectum omnia reſtitui debent, ſed ad proximi cui cohærẽt, membri figuram. At ſi os rectum ſit, rectè: ſi obliquum, vel alio quouis modo curuum, aliter. Modus autem deligaturæ præparandę hic eſt, ad omnẽ faſciam ex lintheis veteribus, tum latitudine, tum magnitudine mẽbro reſpõdens. Latitudine quidem in maximis digitorũ quatuor, vel quinque. In tenuioribus non minus digitorũ triũ. Deligaturæ hæc ratio. Prima faſcia ter nobis ſurſum verſus feratur vt plurimum. Altera dimidio longior in eodem loco incipit, euariãs deorſum quidẽ, ad ſuperiora vero reducitur. Illinenda hydrælæo, vel ænelæo, vel glycelæo aduſq; triduum expedit. Poſt cerato laxo, vt oleum craſſum videatur. Verum iunctura ita paretur ne nimium aſtringat, vt alienetur, ſed mediocris ſit vt membrum conquieſcat: nec

laxa, vt contineatur, & repellat influxus, inflãmationis. Pòst splenia triplici, quadruplicíq; figura adhibeantur, quæ membrorum crassitiem impleant. hæc quoque ipsa stabiliant, ne sibi mutuo incidant, nec dissidentia interuallum relinquunt. In his fascia cõuenit triplex, quæ à fractura deorsum veniens, sursum rursus feratur, ibíq; finiat. Soluere membrũ tertio die, interim septimo si necessitas exigat, debebis. Inde licebit ferulas circumponere, interuallo distantes, quæ ossa in sede sua contineant, & in quam partem fractura inclinat, ab ea latior, valentiórque ferula adiungenda est. Maximè hic modus deligaturæ cõfert ijs, quę alphitedon fracta sunt, cũ vulneribus & multa contusione musculorum: in quibus etiam linamenta madentia imponenda sunt. Linamentorum sunt quinque species: aliud flexile, aliud rasile, aliud succidum, alia quæ Græci ἐλλυχνιωτὸν & παπισκωτὸν appellant. Luxati distenduntur: repositio membri distensionem propriè sequitur. Omnia in Hippocratico subsellio restituũtur, simul & tensa, & commissa. Caput luxatur, nam articuli circuitum obtinet. Maxilla in priorem partem propellitur, sed modo altera parte modo vtraque. At solis manibus in sedem suã compellitur hinc illincq; ad malas adducta. Humerus cum in


alam tantum excidit, lignea ſpatula cum intẽſione in ſedem reducitur, ſunt & alia inſtrumenta, quæ palæſtrica nominant. Cubitus in omnes quatuor partes excidere poteſt. Si in exteriorem, interiorémve diſtenſione reponimus. Si in priorem, vel poſteriorem ſine diſtenſione reſtituimus. Manus, & eius oppoſita pars, adhæc digiti, modicè diſtenti reponuntur. Quæuis ſpinæ peruerſio, tumor, & ſinus reſtaurari non poſſunt. Femur in omnes quatuor partes promouetur ſępiſſime in interiorem, deinde in exteriorem, raro admodum in priorem, aut in poſteriorem. Genu quoque in exteriorem partem, interiorem, & poſteriorem excidere notiſſimum eſt, in priorem nequaquam, cum idem oppoſita patella, ipſa quoque caput tibiæ contineat. Talus modicè prolapſus ægre reſtituitur. Si magna ſit luxatio, ægerrime. Periculoſa enim nimis, & niſi cum vulnere accidit. In digitis nihil vltra fieri debet quàm quod in his, qui ſunt in manu poſitum eſt. Commiſſurarum interualla, vt in facie, cubiti & radij, tibiæ & ſuræ, metacarpij & volæ, tarſi & plantæ in veterem figuram reſtituuntur. Porrò quæ membra nigreſcunt, vel depaſcuntur, ſiue ex fracturis, ſiue violẽta aſtrictione tota ſæpe adurimus. Similiter in ijs facimus, quos venenatæ ferę mo

morderunt, mox ferramentis probè candentibus paſtionem ſiſtimus. Deinde vbi cruſtæ expurgatę fuerint, tanquam vlcera curamus. Venenatorum morſus neque cito ad cicatricem ducimus, ſed frequentius hulcerum modo fluorem ex eis concitamus.

Τέλος.

C. GALENI PERGAMENI INTRODVCTIONIS SEV MEDICI GVINTERIO IOANNE ANDERNACO INTERPRETE:

FINIS.





CLAVDII GALENI PERGAMENI DE SECTIS AD MEDICINAM INTRODVCTIO.



Edicæ artis ſcopus, ſanitas eſt: finis, ipſius poſſeſſio. Porrò medici neceſſario intereſt cognoſcere, quibus aut abſentem ſanitatem reſtituere, aut præſentem tueri poſſit. Iam vero quæ abſentem reſtituũt: medicamenta & præſidia nominantur: quæ præſentem conſeruãt, ſalubris victus ratio. Hæc igitur, & ipſam medicinam ſalubriũ, morboſorúmq; ſcientiã eſſe, veterũ ſcripta declarant. Salubria quidem vocant, tum ad præſentem ſanitatem tuendam, tum ad amiſſam recuperandam accommoda. Morboſa his contraria ſunt. Amborum enim cognitio his vitandis, illis cupiẽdis, medico eſt neceſſaria. Vnde vero horũ ſcientiam definierint, nondum ſatis inter omnes conuenit. Sed alij quidem ſolum vſum & experimenta ſatis eſſe pronuntiant: alijs ratio non parum videtur peragere. Cæterum nonnulli à profeſſione ſua nominãtur. Empirici à ſola experiẽtia. Rationales

ſimiliter à ratione. Atque hæ duæ principes medicorũ ſectæ ſunt. vna quidem vſu & experimentis medendi rationem inquirit:altera per indicationem. vtrique nomen inditũ eſt: priori Empirica:ſecũdę,Rationalis.Cæterum hanc dogmaticam, & ratiocinatricem: illam obſeruatricem,& μνημονευτικὴν græce, à mandandis memoriæ quæ viſu vſurpata fuerant, appellare priſci conſueuerũt.Hinc illarũ profeſſores partim Empirici,obſeruatores,& μνημονευτικοὶ euidentia memoriæ tradentes: partim dogmatici,& ratiocinatores nuncupãtur. Porrò Empirici hũc in modum ex vſu, atque experimentis artẽ conſtitui pronũtiant:quòd multos hominibus affectus viderent oboriri: quoſdam ſua ſponte,cõmunes,tũ ægris,tum ſanis,vt ſanguinis fluorem ex naribus:vel ſudores,vel alui profluuia:vel aliud huiuſmodi quippiã,quod vel offenſam,vel præſidiũ afferat: non tamen cauſam effectricem, quæ ſub ſenſum cadere poſſit,oſtendat:alios,quorum cauſa euidens ſatis fuit, non tamen ex noſtro inſtituto,ſed caſu quopiam euenire, vt collapſum,ictum,aut aliter vulneratum ſanguinẽ mittere, frigidã bibere in morbo, cupiditati obſequentem, aut vinũ,aut id genus alia,quæ ſingulatim vel proſunt,vel offendunt.Primã itaque ſpeciem auxiliorum,vel offenſarũ,Na

turalem vocant: alteram, fortuitam. Priorem vero vtriusque speculationem περίπτωσιν græci nominant: inde adeo quòd rebus ex improuisò, nec volentibus nobis accidat. Hæc igitur experientię species est huiusmodi. At quæ vltro euenit, ex nostro pendet arbitrio, cum vel somnijs, vel alia ducti opinione quippiã exercemus. Tertia species est imitatoria, vbi, quid iuuerit, aut offenderit vel natura, vel casu, vel suomet instinctu, statim in ipsis affectibus vsu ac experimento probetur. Atque hæc est, quæ artem ipsorum potissimũ constituerit. Non enim bis dũtaxat, aut ter, verũ sæpius id quod profuit, imitati sunt. Postea in eisdem vitijs idem valere frequẽter cõperientes, eiusq; memoriam speculationem appellantes, fidã modò, & medicinæ & partẽ arbitrantur. Quamobrem vbi multa id genus Theoremata collegissent, vniuersam congeriem medicinã: collectorem medicũ appellant. Talis autẽ congeries, propria cuiusq; inspectio, græce αὐτοψία est: memoria videlicet eorum, quæ subinde similique modo oculis comperta sunt. Quam rem experientiam nominare licet: eius professionem, historiam. Nam id ipsum obseruãti suamet inspectio est: discenti vero iam obseruatũ, historia. At quia in mali genus aliquod nondum prius visum vel cognitum incidebãt

& in ijs locis,vbi nulla esset remediorum copia, quæ vsu explorarint, instrumentum aliquod auxilijs inueniendis inuenerunt,nempe ad similia trangressionem : qua vtentes crebro etiam ab affectu,ad affectũ similem idem præsidium transferunt. item à loco ad locum: à remedio prius cognito,ad vicinum aliquod transeunt. Ab affectu quidem ad affectum,vt si ab Erysepelate ad Herpetem trangrediaris, A loco ad locum,vt ab humero ad femur: à præsidio ad præsidium, vt in alui profluuijs à pomo ad mespilum. Atqui omnis huiusmodi transitus ad inuentionem via est. Verum inuentio nondum ante experimentũ est: vbi vero eius quod speratum sit periculum feceris,iam certum veluti testimonio experientiæ habetur,non minus ac si plerunq; pari modo valere obseruatum fuerit. Porrò experientiã hanc similium trãsitus comitem exercitatoriam vocant:quòd eam qui hac ratione quid inuenturus sit,in arte exerceri conueniat. Ac priores vniuersæ probationes experiẽtiã præcedẽtes, quas ars in sui cõstitutionẽ requirit, in quibuslibet fieri possunt. Talis nãq; per vsũ ac probationem ad artis finem via est. Cæterum quæ rationi nititur,corporis naturę cui mederi conatur,iubet perdiscere: adhæc omnium causarum vires, quibus affectum quo-

tidie corpus aut salubriꝰ, aut valetudinarium magis euadit. Insuper aeris, aquarum, locorum, studiorum, cibi, potionis, & consuetudinum rationẽ medicum percallere conuenit: quò morborũ omnium morbos, & remediorũ facultates inueniat. præterea cõijciat, ratiocinetúrque medicamentum huiusmodi facultate præditum, id genus causæ adhibitum, tale quippiam effecturũ esse. Quia, prius quàm in his omnibus variè se exercuerit, fieri non posse aiunt, vt remediorũ facultatẽ cõsequatur. Esse videlicet, vt exiguo paradigmate totum id condiscas, pars corporis aliqua dolens, & dura, & cõtumax, & tumidiuscula. Hic causa medio inuenienda est. primum quòd humor quispiam naturali copiosior in partẽ defluens ipsam attollat, & distendendo afficiat. Deinde si quid influat, cohibendum est. Sin minus, pars iam euacuãda est. Qua igitur ratione fluidum adhuc sistes, & quod continetur vacuabis? Refrigerando sanè & astringendo particulam, fluorem sistes. Humectando laxãdóq; collectum vacuabis. Hoc itaque pacto ab ipsa dispositione, cõueniẽtis indicationẽ accipiũt. Nõ hanc solũ esse satis aiunt: verum ab ægrotantis viribus alteram sumi: item ab ætate aliam: nec minus à propria ægri natura aliam. Pari modo ab anni tempore, loci,

natura, studiorúmque & cõsuetudinis ratione peculiarem à singulis idoneorum indicationem fieri. Verbi gratia, vt hoc quoque exẽplo fiat dilucidius, fingam aliquem acriter febricitãtem, ad motum segnem, grauitatem corporis sentire: fingamus item tumidũ magis & rubicũdum esse quàm prius: adhæc venas elatiores apparere, quis dubitat sanguinis calidioris copiam huic redundare? Quod igitur remediũ? nimirũ euacuatio: quæ abundantiæ est contraria. Nam contrariorũ contraria sunt remedia. Quomodo iam euacuabimus, aut quousq;, hoc nondũ à causa sola constare potest. Nam vires, ætatẽ, tempus, regionem, aliáque paulò ante cõmemorata prius inspicienda sunt. Quippe si validis existat viribus, ætate florenti, & tempus anni vernũ, & regio temperata: non peccabis, si vena incisa vacues sanguinem: quantum causa postulet. Imbecilli autem viribus, ætate vel puero admodũ exiguo, vel seni, in loco frigidiore, vt Scytharum plaga, aut calidiore vt Aethiopia: & anni tempore, vel insigniter frigido, vel calido: nemo venam incidere ausus fuerit. Similiter cõsuetudinem, studia, & naturas corporũ intueri præcipiunt. Siquidem ab omnibus istis propriam curationis indicationem assumũt. Porro, a quibus Methodici sanationis indica-

tionē capiunt, inde Empirici obseruationem. Prædicta enim symptomatum congeries in febricitāte, συνδρομὴν vocare cōsueuerunt, Dogmatico quidem vacuationē ostendūt: Empirico obseruatorū recordationē. Etenim in huiusmodi affectibus, cū euacuationē sæpe profuisse viderit, nūc quoq; eadem vsus, de successu bene sperat. Quinetiā florētes ætate vacuationē sufficientem nulla planè molestia ferre cōspexit: ex quibus id crebro aduertit. Sic vere magis q̄ æstate, & in loco tēperatiore: tū si cōsuetudo quæpiā vacuādi ægro fuerit, nēpe per hæmorrhoidas, vel ex naribus, Dogmaticus quidē hui⁹ rei occasione sanguinis abūdantiā à rei natura incitatus adimit: Empiricus autē, ꝙ hunc in modū obseruauerit. Sūmatim eadē remedia in eisdē affectibus & Dogmatici, & Empirici assumūt: de ipsorū inuētiōis modo dissentiētes. Qm̄ symptomata eadē in corpore apparētia, causā Dogmaticis indicāt: vnde curationē ipsi iueniūt. Memoria vero rerū subinde similiter obseruatarū Empiricis. Vbi nullū euidēs symptoma, quod causā ostēdat, Dogmatici habent: ibi nō verent̄ q̄rere causā, quā ꝓcatarcticā nomināt. Vt si canis rabidus momorderit, aut vipera, aut aliud qd eiusmodi. Siqdē hulcus ipsū nihilo magis ab alijs diuersū sp apparet: aut prorsus ab iitio. Quippe

in rabido cane perpetuo simile ijs qui ab alio quopiam morsi sunt, apparet. Verum in viperis priori tempore alijs simile: posteriore quū iam deterius habuerint, affectiones quædam pernitiosæ corpori ipsorum exurgunt. Et ferè huiusmodi symptωmata omnia, quæ à bestijs virus iaculantibus proueniant, deploratæ salutis, à principio statim meliora, postremo pernitiem pollicentur. Quæ igitur proba curatio adhibebitur? An videlicet venenū quod simul cum morsu corpori incidit euacuandū est? Non itaque citatrix obducenda, & vulnus tale subito claudendum est: sed ecōtrario minutim omnino incidendum sæpe venit: tunc autē calidis, acribus, & que trahere siccaréq; virus possunt, medicamentis ob eandem causam vti conuenit. Eadem adhibent Empirici, non à rei ipsius natura ad ipsorum inuentionem ducti, sed vsu compertorum memores. Quemadmodum etiam in ætatibus, tēporibus, & locis. Itaq; si iam vtrasq; inuentionis vias esse veras inuicem concederent: pluribus hic verbis opus non esset. Quoniam vero experientiam Dogmatici damnant: alij tanquā parum sibi cōstantem: alij vt imperfectā: reliqui vt artis expertē. Rationē rursus Empirici quasi cōiecturalē ꝓbabilémq;, nō autē verā reprehendūt. Duplex vtrisq; sermo lōgúsq;

nimiũ protenditur,dum ſe mutuo accuſant, defendúntque. Nempe Aſclipiades cõtra experimentorum obſeruationẽ agens,nihil eodem ſæpe modo videri poſſe : indéq; ipſam parum ſibi conſtantẽ, & nullius vel minimi inuentioni ſatis eſſe demonſtrat. Eraſiſtratus ſimplicia in ſimplicibꝰ per vſum inueniri poſſe profitetur : quippe Portulacam dentiũ ſtupori eſſe remedio. Non ſtatim compoſita in compoſitis itidem concedit,ratus illam non omnino vel aliquibus inueniendis ineptam eſſe,licet vniuerſis vna ſufficere nequeat. Hæc ſunt illorum,qui per experientiam talia inueniri conſentiunt:ſed vituperãt eandem,quòd incerta vagetur ac in nullo ſiſtat præſcripto:tũ quòd longa, & amethodos,vt ipſi aiũt,id eſt ſine via & ratione conſiſtat. Deinde rationales profeſſionem ſuã per omnia ſibi conſtãtẽ, firmámque prædicãt: experientiã contrà veluti rem ab omni arte remotã inſectãtur. Viciſſim Empirici rationaliũ dicteria reuellentes,experientiam conſiſtentem, artifitioſam, & quæ ſatis cuique faciat, oſtendere conãtur: rationẽ multis adeo modis reprehendere, vt ad ſingulas accuſatiõis ſpecies Methodicis reſpondeãt. Nam hi qum naturam corporis, morborum omnium generationes, remediorum vires cognoſcere ſe pronuntiant, Empi-

rici cominus progressi omnia illorũ criminãtur, tãquam probabilia, similiáq; vero tantũ, nullam autẽ firmam cognitionem habentia. Est quum ipsorum cognitionem concedunt: vsum vero aliquem, nõ similiter. Interim vbi hunc quoq; esse permiserint, rursus superuacaneum affirmãt. De his sanè cõmuniter Empirici & Rationales cõtendunt. Particulatim de multis, iuxta eorum singula, vt in quæstionibus: de latentium causarum inuentione. Nempe altera pars corporũ incisionem, demonstrationem & dialecticam speculationẽ commendant: instrumenta videlicet, quis abdita indagantur. Empirici nec inuenire quippiam incisiones cadauerum: nec si inueniãt, necessarias esse medicinæ: imò nec indicationem omnino subsistere, nec aliud ex alio cognosci posse contendunt. Omnia enim sui notitiam requirere: nullius autem rei naturæ obscuræ vllum esse indicium, insuper nec Dialectica quamuis artem desyderare. Post etiam aduersus Dialecticas hypotheses atque diffinitiones quippiam commentantur. Ad hæc rerum natura latentium demonstrationem nullam omnino esse pronuntiant. Iam vero de vitiosis demonstrandi modis quibus Dogmatici vti consueuerunt, de omniq; ratiocinatione nonnulla dicũt: puta hãc quod polli-

cetur inuenire non posse: vel aliam quamlibet artem, nec vitæ humanæ rationem in ea versari & consistere. Porrò quæ euidens ratio illis dicitur, latentium causarũ inuentioni vtilis est: sic enim vocant, quæ quidem ex sensibiliũ numero sunt, nondum tamen apparent. Nec minus confert arguẽdis ijs, qui aduersus manifesta quippiam audẽt dicere. Pari modo ad indicanda, quæ in apparentibus omittuntur, tum ad sophistarum cauillos euitandos conducit. Ab euidentibus nũquam recedit, verũ in his perpetuo versatur: non tamẽ hæc ratiocinatio, quã Græci ἀναλογισμὸν appellãt, sed à manifestis incipit, ad obscura vero semper desinit: atque huius rei occasione multiformis est. Nam ab euidentibus ipsis, ad abdita alia, atque alia proficiscitur. Hic modo discordiã improbabilem concitant: qua inditio esse dicunt, illa non comprehendi posse. Siquidem comprehensionis vocabulo, veram, stabilemque scientiam designant. Incomprehensionis (vt ita dicam) inscientiam. Iterum incomprehensionẽ discordiæ improbabilis causam esse aiunt: discordiam rursus incomprehẽsionis signum improbabilem de latentibus dissentionem, non de perspicuis enuntiant. Nam vnumquodque hic apparens vera loquẽtibus testimonium exhibet: falsos

coarguit. Hoc genꝰ ſex millia Empirici & Rationales mutuò ſibi obijciunt: curationẽ, qui in vtraqꝫ ſecta legitimè exercitati ſunt, in eiſdem affectibus eandem molientes. Cæterum Methodici, ſic enim ſe ipſos nominarũt, quãdoquidem non vt Dogmatici artem via & ratione quadam, græci μέθοδον appellant, artem adminiſtrandã eſſe aſſeuerant, non verbo tenus cũ alijs ſectis cõtendere, ſed multa quoque artis opera transformare videntur. Qui neque locum affectum ad curationis iudicationem prodeſſe quicq̃ aiunt, neque cauſam, neqꝫ ætatem, neque tempus, neqꝫ regionem, neque viriũ ægrotantis inſpectionẽ vel naturæ, vel ipſius habitus. Negligunt tempora anni, loca, & conſuetudines: à ſolis affectionibus remedij indicatione petita contenti: eámque ſufficere dicentes. Nihil autem ab his ſpeciatim, ſed cõmuniter, vniuerſímque ſtatuunt. Atque iam communia vocant. Quæ ſimul ipſa particularia omnia perſtringunt. Iam vero nonnulli morborum, qui ex victus ratione proueniunt, nonnulli omnium ſermone abſoluto duo communia, & tertiũ aliquod mixtũ indicare nituntur. Nominant aſtrictũ, & fluens. Hic autem omne morborum genus cõprehendi, aut ex vtroqꝫ miſtum eſſe aliquid arbitrãtur. Cum naturalis corporum euacua-

tio minus probè perficitur, aſtrictionẽ: cum iuſto magis, fluorẽ: quũ reſoluitur corpus & comprimitur, mixtum vitiũ nominãt. Quẽadmodum in oculo inflammatione ſimul & fluore laborante. Etenim phlegmonẽ aſtrictã licet affectũ, quoniã nõ ſola modo, ſed cũ fluore in vno eodémque loco accidit, vniuerſum morbum compoſitum generare. Auxilij indicationem ſtatim ſi corpus aſtrictum eſt, digerendum eſſe: ſi profluuio laborat, continendum. Genu nãq; ſi inflammationem ſentiat ſoluendum: ventriculũ, vel oculum profluentem, comprimendũ tenendũmq; eſſe præcipiũt. Si mixtum vitium habet, occurrendum ſubinde vehementiori malo quàm alteri. Cur igitur nõ Dogmaticos ſe nuncuparunt, cum indicationi præſidia tribuant? Quia, inquiũt, illi in coniectura rerum latẽtium volunt eſſe medicinam: nos autem in manifeſtis verſamur. Denique ita ſectã ſuam vniuerſam definiunt, communium, quę explorari poſſunt, id eſt euidentium cognitionẽ. Et ne alijs omnibus artibus eadẽ cõueniat diffinitio, etenim & illas communitatum apparẽtium notitias eſſe iudicant, ideo apponunt medicinę finem conſequentium. Quidam illorum non conſequẽtium, ſed ipſius fini conſonantium adiecerunt. Complures vtriſque additis, metho-

dum esse aiunt manifestarum communitatum, concordantium, & consequentium medicinæ finem, notitiam. Nõnulli sicut Thessalus quoque, cohærentium, & necessariarum ad sanitatem. Atque hæc iam est ratio, cur se Dogmaticos appellari nolint. Quippe latentibus ac obscuris se non indigere, vt illi profitẽtur: neque experimenta tantum spectantibus annumerari volunt: etsi quàm maxime in euidentibus artem tractent. Nam indicatione ab ipsis separati sunt: nec tamen in ipso circa euidens exercendi modo se cum Empiricis conuenire dicunt. Illos enim ab obscuris tanquam incertis, & dubijs recedere: se vero quasi ab inutilibus. Præterea Empiricos in apparentibus obseruationem, ipsos indicationẽ habere. Hoc itaq; discrimen cum vtrisque se habere docent: maxime dum anni tempora, ætates, & hoc genus vniuersa tollunt: quæ nullũ planè vt ipsi putãt, medicinæ vsum exhibẽt: solũ vero prioribꝰ medicis ostentatiõis gratia plurimi sunt æstimata. Et hoc summum Methodicæ sectæ bonum esse prædicãt: Quinetiam ob hoc gloriantur, seque admiratione dignos cẽsent. Insuper eum qui vitam esse breuem, longam vero artem dicat, increpant. Econtrario nanq; artem esse breuẽ: vitã longam. Siquidẽ omnibus quæ artem iuua-

re falſo putata ſunt, ablatis, & ad ſola cõmunia nobis reſpicientibus, neq; longã adhuc medicinã, neq; difficilem, ſed facillimam & perſpicuã eſſe, quæ tota ſex mẽſibus promptiſſime perdiſci queat. Hoc pacto morbos, qui victus ratione ſanantur vniuerſos, in arctũ nimis cõgeſtos eſſe: ſimiliter, qui ex manu, & medicamentis auxiliũ capiũt. Quin in illis quoq; generatim quædã cõmunia adinuenire ſtudent: adhęc remediorũ ſcopos, numero paucos ſubiungũt. Vnde mihi non in decantatis illis ſex mẽſibus, ſed multo etiã citius tota illorũ ars percipi poſſe videtur. Atq; gratia illis habenda eſt de tam cõpendioſa diſciplina, ſi nõ mẽtiuntur. Mentientes autem negligentiæ mihi accuſandi ſunt. Porrò quàm iuſte quiſpiam iudicare mihi videatur, ipſos vel hallucinari in vtilibus, vel ſolos ſuperuacua rectè fugere, iam aperiam. Non etenim exigua eſſe cõſideratio apparet, neq; ad vſq; verba tãtũ procedere, queadmodũ Empiricis, & Dogmaticis: cũ de prima auxiliorũ inuentione cõtendunt, de præſenti vſu inuicem cõuenientes. Verũ Methodicã ſectã vel artis opera multũ offendere, vel iuuare multum neceſſe eſt. Cũ iam duplex in rebus iuditium ſit, vnum à ratione ſola, alterum ab euidenter manifeſtis profectum: prius maius eſt quàm medicinæ cãdidatis cõ

ueniat. Quare de hoc dicere nũc opportunũ non eſt. Alterum, quod in ſola euidentia conſiſtit, omnium hominũ communis eſt. Quid igitur ꝓhibet hac priore vti quæ ſimul & recens initiatis ſit manifeſta, & ab ipſis Methodicis commendata? Nihil enim aliud quàm apparentia ſemper laudibus extollit: atq; hæc vbique profitẽtur: obſcura vero omnia in nullo vſu eſſe referunt. Age nunc primũ cauſas euidẽtes Græci προκαταρκτικὰς nominãt, inſpiciamus: pro iudicij regula, id quod ſenſibus apparet, conſtituentes. Primúſque Methodicus in mediũ progreſſus hũc in modum loquatur. Quid tandẽ ò Rationales & Empirici frigus, æſtum, ebrietatẽ, cruditatem, plenitudinem, defectum, labores, otia, ciborum qualitates, & conſuetudinum mutationes fruſtra tam curioſe inquiritis? Vtrum hæc affectionibus corporum neglectis medicaturi eſtis quæ nequaquam adſunt, verum ſeparãtur? Quod ab ipſis generatum eſt in corpore manet. Atque huic (affectus enim eſt) remedium exhibere oportet. Inſpiciẽdum igitur eſt, qualenã exiſtat. Si etenim cõpreſſus morbus, ſoluendum corpus eſt: ſi fluẽs, tenendũ: tractãdúmque prout cauſæ poſtulant. Quem nũc vſum adhuc cauſa præbet, cum fluidum ſolutione nunquam indigeat, neque aſtrictum reten-

sione? indubie nullũ, ſicut res ipſa indicat. Similia de cõiũctis, ſiue cõtinẽtibus cauſis Methodici loquũtur. Nã illas quoq; ſuperuacuas eſſe aſſerũt, morbo videlicet propriã curationem indicante, etiã cauſa, quæ ipſum fecit incognita. Eodem dicendi modo ad anni tẽpora, ætates, & loca deſcendunt. Atq; hic veteres medicos rem tam clarã ignorare demirãtur. Nã phlegmone, cũ morbus ſit cõpreſſus, inquiunt nõ æſtate ſi contingat, ſoluentibus auxilijs opus habet: Hyeme alijs quibuſdã: ſed in vtroq; tẽpore eiſdem. Neq; in pueritia relaxantibus: in ſenectute tenentibus. Neque in Aegipto reſoluẽtibus: Athenis cõtinentibus. Rurſus, cũ phlegmonæ fluens morbus adſit, nunq̃ ſoluẽtibꝰ, verũ perpetuo reprimẽtibꝰ, & hyeme, & æſtate, & vere, & autũno, cuiuſcũq; etiã ætatis æger ſiue in Thracia, vel Scythia, vel Aethiopia cõtingat. Quare hęc nuſq̃ vſu venire, verũ nequicq̃ omnia tã curioſe inueſtigari. Quid iam corporis partium inſpectio, & hæc ne ad curationis indicationẽ ſuperuacua eſt, & inutilis? Quiſquã ne audeat dicere inflammationẽ, quã Græci φλεγμονὴμ appellant in neruoſa parte ſoluendã eſſe, in arterioſa, aut venoſa, aut carnoſa cõprimẽdam? An omnino tam impudens quiſpiam ſit, qui aſtrictã corporis partẽ non digerendam eſſe,

profluuio laborantem non continendam diſtitent. Si igitur partis natura nihil curationis modum immutat, ſed auxilia ex affectus genere inueniuntur, quorſum attinet particularum contemplatio? At Methodicus quidem talis eſt, vt formula quadam loquendi vtar. Accedit nunc huic ſecundus Empiricus hunc in modum inquiens. Ego quidem euidentibus nihil noui præſtãtius maiúſq; eſſe, nec ſapientius quippiam, ijs quæ oculis vſurpaui, inueniri poſſe promitto. Si quidem euidentiã vilipendis, quemadmodum prius aliquem ſophiſtam me audire memini, ad eos qui euidẽtia ſectãtur, magnámq; ipſius rationẽ habent, hinc faceſſere tẽpeſtiuũ nobis videtur. Tu ſanè Cadmęam victoriã celebrabis. At ſi, vt ab initio abs te audiuimus, cuiuſlibet obſcuri nullũ eſſe vſum dices, euidẽtia ſolũ cõſecutus, forſan oſtendero in manifeſti mẽtione, quod tu præteriſti. Homines duo à rabioſo cane morſi, ad Medicos familiares ſibi, remedia petituri conceſſerunt. Sed exiguũ adeo vtriuſque vulnus erat, vt ne cutim quidem totam penetraret. Alter itaq; medicorum ſolius vulneris curationem moliebatur, de nulla re alia ſollicitus: & quidem paucis diebus partem ſanam reddidit. Alter vero, cum rabire canem deprehendiſſet, contrarium à prio-

re ſemper egit, vulnus multo maius faciens: validis diu, acribúſque medicamentis vſus, tū pharmaca interim aduerſus rabiem confecta, vt ipſe dicebat ægrum aſſumere coegit, tantum abeſt, vt cicatricem vulneri ſtatim induxerit. Tu nunc quē vtriuſque curatio euētum habuerit, audi. Qui medicamenta bibit, ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Alter, qui nihil ſe mali habere putabat, ſubito aquam extimeſcens conuulſione interijt. Nunquid hic præcedens cauſa in ijs ſuperuacuo tibi inquiſita eſſe videtur? An ob aliam ille mortuus eſt, quàm medici negligentiam, qui nihil de morbi cauſa ſciſcitatus ſit, neque remedium ad eam obſeruatam adminiſtrarit? Hac ſola meo quidem iuditio, cauſa mortis illius extitit. Quoniam vero manifeſta ſector, id genus cauſarum nullam præterire non poſſum. Pari modo nec ætatem omittere, aut paruifacere manifeſta. Nam hæc quoq; mihi fidem faciunt, eoſdem planè affectus, non eandem ſemper curationem requirere. Sed interim in diuerſis ætatibus tantum differre, vt nō quantitate ſolum, vel modo auxiliorum, ſed toto genere euarient. Vidi nanque ſepius multis ætate florentibus, & rabidis: etiam me cōſultore ſanguinem miſſum, verum nulli vel ſenio planè confecto, vel adhuc puero admodū,

Neqꝫ vos auſi eſtis venam incidere, nec vllus alius vnq̃. Quid autem ſibi vult Hippocrates, quũ ait: Sub canicula, & ante eã purgationes malæ. rurſus. Aeſtate ſuperiores, per hyemẽ inferiores partes expurgare cõuenit. Verè, an ſecus nobis dicere videtur? Ad vtrunqꝫ enim quid reſpõdeatis, non habere vos arbitror. Nã ſi mentiri eũ dixeritis, euidentia minus æſtimabitis, quæ vobis in pretio eſſe fingitis. Veritas ſiquidẽ vt Hippocrates ſcribit, apparet. Sin autẽ vera loqui eũ cenſeatis, tẽpora quoque, & loca, quæ ſuperuacua eſſe cõtendiſtis, admittetis. At puto vos nunquã à patria veſtra longe peregrinatos eſſe, neqꝫ locorum diuerſitatem vſu didiciſſe. Sciretis vtiqꝫ eos, qui Septentrioni ſubiacent vniuerſim factas euacuationes ſufferre nõ poſſe, ſicut nec illos, qui Aegiptum, aut Meridanam plagam incolũt. Qui vero medij hos interiacent, ijs venæ inciſionem ſæpe magno fuiſſe præſidio. Porrò, quòd nec corporis partes inſpicitis, non poſſum non demirari, vehemẽtérque abſurdum eſt: nec veris modo, ſed etiam illis, quæ voſmet agitis contrarium. Quæſo per deos, ſi phlegmone contingat vel in crure, vel in aure, vel in ore, vel in oculo, eadémne erit curãdi ratio? Cur nam igitur crurum phlegmonas ſcalpello vos diuidentes crebro conſpexi,

oleóque vngẽtes: oculos nõ item? Hos etenim phlegmone laborãtes aſtringentibus medicamentis curatis, nõ tamen eiſdem crura perungitis? Cur non itidem aures inflammatione vexatas oculorũ auxilijs ſanatis? Cur nõ oculos, auriũ præſidijs? Sed aliud auriũ, aliud oculorum inflãmationis medicamẽ eſt. Acetum ſiquidem cũ oleo roſaceo auriũ phlegmonæ præſens eſt remediũ. Neminem tamen puto idem exhibiturũ oculis inflãmatis. Qꝫ ſi quis tam ſit temerarius, nõ mediocri offenſa certo noui temeritatem ſuã experturũ. Et gurgulioni phlegmone obſeſſo pulchrè ſuccurrit ſpinæ Aegyptię fructus, ſic quoqꝫ alumẽ fiſſile. Num igitur hæc quoqꝫ oculis inflãmationi obnoxijs, & auribus profuerint? An plane è cõtrario magnũ detrimẽtum attulerint? Atque hæc omnia dico, primã vobis hypotheſin cõcedẽs, crurum videlicet, & manuũ phlegmonas digerendas eſſe: nec tamẽ oculorum, aut gurgulionis, aut auriũ. Iam vero ſi crurũ manuúmqꝫ inflãmationes non quouis modo laxandas eſſe monuero, forſan in mentẽ vobis veniet, ſi ſapiatis, quantũ à ſcopo aberraueritis. Erit autẽ præſens ſermo manifeſti cõmemoratio. Qui enĩ ex nulla re, ſed vltro in parte quacũqꝫ inflãmationẽ ſortiũtur, vbi plethorica adſit affectio, nullã particulę relaxationẽ,

prius deſiderant quàm corpus euacuatum ſit. Nõ enim phlegmonen præſentẽ, ſi id feceris, imminues, ſed potius augebis. Quo fit, vt huiuſmodi tempore aſtringentia refrigerãtiáq; parti admoueamus. Simulatque vero totum euacuauerimus, tũc particula ſuſtinebit laxãtia. Sin autẽ hæc vobis nõ perſuadeo quod in orationis exordio diximus, ad illos, quibꝰ magnifiũt euidentia digredi nos tẽpus poſtulat. Hæc Empirico cõmemorante, Dogmaticus accedat, & hũc in modum orationẽ inſtituat. Nimirũ ſi quid mentis haberes, hæc abunde ſatis te erudirent, nec ætatẽ, nec loca, nec cauſas præcedentes, nec corporis partes fruſtra diſquiri. Cæterũ ſi nondũ Empiricus euidentiũ enarratione hoc tibi perſuaſit, ſed alia adhuc oratione opus eſt, eã apponere nũc cogito, quò ſectæ tuæ hypotheſin infirmã eſſe demonſtrem. Audio enim ſectã veſtram apparẽtium cõmunitatum eſſe cognitionem. Interrogaui autem crebro, in qua re potiſſimũ ipſa cõmunitas conſiſtat, quóque modo eam cognoſcamus. Siquidẽ cognoſcere me etiãnum poſſe non videor. Cauſam verbotenus eandẽ omnes tractatis, re vero nõ conſentitis. nõnulli enim veſtrũ excretionibus præter naturam, aſtrictũ & fluens adnumerãt. Cũ quidem retinẽtur excremẽta, obſtructionẽ: quũ immo-

derate excernuntur, profluuiũ, affectionẽ appellant. Alij quidam è vestro cœtu inter reliquas corporum constitutiones affectus esse pronuntiant, queruntúrq; de ijs vehementer qui ad corpus, quod euacuatur, respiciunt. At quomodo mihi vtraq; pars errare videat̃, fortassis iam ostẽdero. Ad eos autẽ sermo noster prius dirigatur, qui excretiõibus præter naturã, affect⁹ attribuũt. Nã demiror ipsos, si neque sudores vnq̃, neq; vrinas, neq; vomitus, neq; deiectiões plures quàm naturalis habit⁹ exigit in morbis cõmode vacuatis viderũt: & quod lõge absurdissimũ est, si neq; ex naribus fluore aliquando morbũ finiuisse cõspexerũt. Huius siquidẽ nõ modo qualitas, sed totũ genus à natura recedit. Sudorũ, vrinarũ, & eorũ q̃ per aluũ, & vomitũ proruũt genus, nõ præter naturã est. Sic tamẽ immodica est interim copia, vt ego viderim nõnullos tãtũ sudorẽ profudisse, vt etiã culcitras madefecerĩt: alios rursus supra heminas triginta per sedẽ deiecisse. Sed nihil horũ videbat̃ cessare, quia id, quod offendebat, euacuabat̃. Etsi hæc symptomata naturalibus excretionib⁹ regula vtẽti euitãda erant. Quamobrẽ probabiliores quodãmodo esse videntur, qui in corporum statibus communitates statuunt. Sed hos quoq; demiror, quomodo nõ apparẽtes eas appellare dubita-

uerint. Nam ſi quid ex aluo profluit, non eſt fluxus, verũ corporis affect⁹, ex quo ipſum eſt fluẽs, nulli autem ſenſui hic apparere poteſt, qua ratione adhuc cõmunitates dixeris euidẽtes? In colo enim, & tenuioribus inteſtinis, & ieiuno, & ventre, & meſeræo alijſq́ multis inteſtinis, quorũ nulla, aut affectiones in ipſis ſenſu deprehendi poſſunt, profluuiũ eſſe contingit. Qua igitur fronte cõmunia dixeritis apparẽtia, niſi quod ſignis innoteſcere queat, id apparens ſeu euidens quiſpiã vocare voluerit. Si hoc ita eſt, quonã diſcrimine à veteribus medicis adhuc different, ignoro. Quomodo rurſus ſtatim & in ſemeſtri artem ſe docere promittunt? Etenim nõ methodus exigua, ad alicuius quod ſenſum effugit, cognitionẽ deſideratur. Quinetiam anatomes vſus pulchre hoc adminiſtranti neceſſarius eſt, vt quæ partis cuiuſque interioris naturã edoceat. Adhæc naturalis ſpeculationis haud paruæ, qua partium ſingularium munus, & vſum inſpicias. Prius q̃ enim hæc inueneris, nullius in alto ſitæ particulæ affectũ licet cognoſcere. Quid opus eſt verbis? hic dialecticæ vſus neceſſarius eſt, vt ex quo quid colligitur cõprehẽdas: nec ſophiſmatibus circunueniaris aut ab alijs, aut abs te ipſo. Quoniã interdum nobiſmet vel inuitis illudi, videre licet. Atqui profluuium,

quid ſibi velit, lubēs ex eis quærerem,ſi diſſerendi facultatem didiciſſent. Nō enim hoc ſolum credo ſatis eſſe,quod à quibuſdam illorū dictū eſt,profluuiū,videlicet affectionē nominari, naturæ contrariā. Quippe niſi quid ſit affectio teneamus,nihil amplius adeo cognouerimus,An relaxatio,aut mollities,aut raritas ſit.Nihil ſiquidē vel ipſis dicētibus manifeſti audies. Sed quod ipſis in mentē venerit, nūc hoc,nunc illud,plerunque ſimul omnia, tanꝗ nihil differētia. Qꝫ ſi quis ipſos,quomodo hæc inter ſe variēt,quódqꝫ ſingula propriā requirāt inſpectionem,docere conetur, eum nullo pacto audire ſuſtinēt,ſed veteres inceſſunt caluniātúrqꝫ,tanꝗ fruſtra huiuſmodi diffiniētes. Tam otioſi ac ſegnes in veritatis inquiſitione reperiūtur. Imò nec quòd laxo tenſum,molli durū,raro denſum exiſtat contrariū, dicere nos patiūtur. Inſuper ad hæc omnia, aliud eſſe naturæ excretiones contineri, aliud fluere, quēadmodū ab Hippocrate etiā vniuerſa hæc definita ſunt:verū temere,nullo iudicio, & clauſis oculis de his ſententiā proferunt:& phlegmonē (ſic autē vocant durū, renitentē, dolore plenū, & calidum tumorē) prompte admodū, & incōſulto affectum eſſe aſtrictū pronuntiāt. Deinde porrò phlegmonas alias nominant implicitas, velut oculorū

inflāmatiões,vbi cū fluore fuerit,tōſillarū,gurgulionis,palati,& gingiuarū. Poſtea ſubiūgūt meatꝰ alios raros,alios patētes:ideo vtroſqꝫ iā eſſe affectos.Quoſdā vero nō pudet dicere,in vno eodēqꝫ meatu & fluorē,& aſtrictionē poſſe conſiſtere, quod ne quidē cōſiderare facile eſt. Tā ſunt in ōni re audacter temerarij, At pauci quidā ex ipſis,vbi paulo copioſiꝰ de his omnibus tū audire,tum diſceptare pro viribꝰ ſuſtinuerint,vix tādē pœnitētia ducti ad veritatē ſe cōuertūt.His igit̄ qui accuratius de primis,& generalibꝰ vitijs cupiūt diſcere,ſeorſū cōmētarios ſcripſimus.Porrò vt præſens recētioribus medicinæ cādidatis,frugē aliquā adferat,pauca aduerſus eos dicere, æquū fuerit. Optarē ſanè illos fructū aliquē inde referre. Referrēt haud dubie,ſi cōtentiōe relicta, ſermonē ipſum apud ſe pauliſper examinarent. Sermo ita habet.Phlegmone, vt ipſi vocāt,tumor eſt præter naturā,dolorē pariens,durus, tactui reſiſtēs,& calidus: nullam magis partē pro ſua ipſius portiōe vel rariorē q̄ fuit antea, vel duriorē, vel denſiorē reddēs,ſed humore ſuperfluo repletā,eoque intēſam. Non tamē ſi quid omnino tenſum eſt,id quoqꝫ denſius, aut durius, ac antea euadit,diſcas hoc in corijs, loris, & crinibus, ſi vehemēter diſtendere coneris. Pari ratione humorū qui inflam-

matam partē occuparunt remediũ eſt euacuatio. Hæc enim repletioni cõtraria eſt. Nã euacuatis humoribus, particulæ ſtatim laxiores fiũt. Tēſio certe repletas neceſſario ſicut relaxatio euacuatas ſequitur. Denſitas autē, vel raritas, neutrũ ex neceſſitate comitatur. Quin nec fluor, vel retentio. Neq; enim ſi rerũ iam quippiã, id inde fluere prorſus neceſſitas poſtulat. Nã quid, ſi quod cõtinetur, craſſum, & modicũ fuerit? Neq; ſi denſum, teneri? Quia copioſũ, & tenue etiã per dẽſos effluit meatꝰ. Satius igit̃ ipſos ex veterũ libris relectis didiciſſe, quot modis id quod priꝰ in particula cõtinebat̃, denuo excernitur. Etenim rareſcẽte, quod ipſum cõtinet, & eo quod cõtinet̃, attenuato, maioréq; reddito, & vehemẽtiꝰ moto, tũ ab exteriorũ aliquo attracto, vel impulſo, & velut à quibuſdã reſorpto. Iã vero ſi quiſpiã his omnibꝰ neglectis vnã vacuatiõis cauſam meatuũ raritatem eſſe putauerit, is ne apparẽtia quidẽ cognoſcere videbitur. Nam lanã, vel ſpõgiã, vel huiuſmodi rarũ quippiã manifeſtò videmus, ſi parũ intus in ſe humoris habeãt, retinere id, nec dimittere: ſi multũ refundere. Cur igit̃ nõ de oculis quoq;, & naribꝰ, & ore, alijſq; nõ minꝰ raris id ipſũ cõſiderarũt, nẽpe fieri poſſe, vt in hũoris, ꝗ ipſis ineſt copia, nũq̃ niſi ob meatuũ raritatẽ quippiã effluere.

Enimuero figulares ollas ſubinde videmus adeo raras, vt aqua in eas infuſa, perfluat: non perinde mel. Craſſior etenim mellis ſubſtãtia eſt, ollæ meatibus. An igitur vero diſſimile erat, ſi frequẽter tenuitatis cauſa quid effluere dixerim, licet corpus ipſum cõtinens à natura perforatum nõ ſit? Quoniã vero natura ſæpius quæ animal gubernat, impetu vehementiore vſa omne ſuperuacuum expurgat, quaſi expellens propulſanſque, quæ tandem difficultas eſt in artis operibus diligẽter verſato diu, hoc intelligere? Quippe morborũ indicationes hac ferè ratione fiũt. Prętereo nũc reliquas euacuationum cauſas. Similiter, retentionum, pares numero, his contrarias. Nõ enim hic ſermo magnam cõmoditatẽ oſtenderet. Quod autẽ profuturũ aliquando putẽ, eò reuertor: nempe oculũ interim poſſe fluere, vel humore copioſo, vel tenui reddito, vel à natura per hanc partem expulſo, nihil ipſis corporibus ſupra naturalem habitum magis immutatis. Oportet ſanè tenuem humorem ſpiſſare, craſſum attenuare. Naturæ impetũ, ſi in tempore contingat, excipere, nihil circa oculorum corpora ipſa molientem, vt quæ fluoris cauſam non prębuerint. Cæterum aliã Phlegmonem aſtrictum eſſe affectum arbitrari, aliam implicitam, inſignis eſt demen-

tiæ. Quandoquidem primum orationis suæ obliti sunt, fluens non euacuatione æstimandum esse, nec retẽtionibus, astrictum: verum ad ipsas corporũ dispositiones respiciendum. Cum itaque similes omnino inter se existãt, & nulli præsens phlegmone à priore differre videatur alio nomine, q̃ quòd ex his quippiã defluit, ex illa nõ: quomodo nõ insigniter absurdum est aliam phlegmonem implicitam, aliam astrictam nominare? Deinde quo pacto nec hoc, quod erat promptissimũ illis in mentẽ venit ratiocinari, nec in manu videlicet, nec in pede, nec in brachio, nec in humero, nec in tibia, nec in femore, nec in alia qualibet corporis parte talẽ aliquãdo phlegmonę speciẽ, qua foras aliquid efflueret inuentam esse. Solis autem, quæ os, oculos, & nares infestant, hoc euenire. Vtrum Iuppiter omnibus implicitis comunitatibus instituit, vt earum nulla vnquam in aliã corporis partem se immittat, quàm oculos, nares, & os? Plegmone siquidem omnia potest occupare, quæ eius generatiõis causæ recipiẽdę sunt idonea. Videas enim quædam rara, quædam densa natura: alia fluere, alia astringi. Nã si vtrẽ, vel aliud quid ita obstructũ humida substãtia repleas, nihil diffluet. Si vero spongiam, aliúdq; id genus rarũ, quicquid est superflui, effundetur.

Quid negotij ergo est si cognoscas, quanto omnis alia pellis sit astrictior, ea quæ oculos, nares, & os contegit, particularũ naturæ causam attribuere, multis verborũ ambagibus, & nugis omissis. Quod enim hoc sic habet, innuunt cum exulceratione in alijs particulis factæ inflammationes. Quia inter illas quæ tenerior est, fluitat, quẽadmodum in oculis, naso, & ore. Donec autem cutis inoffensa & astricta prorsus fuerit, eius quod nihil refundit, hæc causa, non phlegmonæ species est. Itẽ si melle, aut pice liquida, non autẽ immoderate spongiam aut lanã humectes, nihil propter liquida crassitiem effluit. Porrò si aqua, vel eius generis alio, eóque minutissime eadem arbitror ratiõe ex oculis nõ vsquequaq; aliquid profunditur, aut ꝓpter humorũ crassitiem, aut quòd nõ redundãt, vt qui secundũ naturã maxime sint cõstituti. Quare eadem phlegmone species non alia re discrepans, q̃ substantia influẽtis crassitie, lippitudinẽ, siue fluxũ generare potest: quã sapientissimi Methodici astrictã nominãt credúntq; cum implicita, huic esse discrimẽ, verborum suorum obliti, quæ sursum, & deorsum trãsferũt, corpareas affectuum, præparatiões esse, nõ in humoribus cosistere autumantes. Quonã igitur pacto cum in corporibus eadem sit dispositio,

nulla re alia differens, ſolam vero humorum tenuiũ, vel craſſorũ naturã, ſequatur interim alicuius fluor, interim retẽtio, diuerſas eſſe cõmunitates exiſtimatis? Haud ſecus implicitum veſtrum à ſenſu alienũ eſt. Quantũ iam particulatim nõ ſolum in ea medicinæ parte, quæ victu curat, ſed etiam quę manu, & quæ medicamentis medetur, delinquatis, iterum forſan diſcetis, ſi ijs nõdũ fidem adhibeatis. In præſentia vero, quoniã hæc medicinæ recens initiatis ſufficiũt, libro huic finem imponã.

Errata ſic corrigito.

Foliũ.	Pagina.	Linea	
3	1	13	lege conſiſtunt.
3	1	14	extrinſecus incidẽs ſimplex eſt.
12	1	14	dele nomen
16	1	5	κρυσαλλοειδές.
49	1	17	capiendis.
50	2	20	eum
51	1	5	cauſas pro morbos legẽ
51	1	12	Eſto.
51	1	16	aliam
51	2	1	in ijs
52	2	12	cicatrix.
54	2	11	indicationem.
55	1	19	manifeſtis
56	2	7	extollunt.
60	2	1	quod.

